



Disputatio juridica inauguralis de causis criminum

<https://hdl.handle.net/1874/324466>

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

CAUSIS CRIMINUM.

5

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

DISPUTATIO JURISCA DE...

CAESARIS CRISTIANI

f

2.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

CAUSIS CRIMINUM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI FRANCISCI SUERMAN,

MED. DOCT., ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

CORNELIUS JACOBUS ARNOLDUS DEN TEX,

AMSTELODAMENSIS.

DIE XV M. JUNII ANNI MDCCCXLVII. HORA I.

AMSTELODAMI,

TYPIS C. A. SPIN & FILII.

MDCCCXLVII.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

PHYSICS
BY
J. J. THOMSON

LECTURES
ON
ELECTRICITY AND MAGNETISM

BY
J. J. THOMSON

CHICAGO
UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

PRÆFATIO.

**PARENTIBUS
OPTIMIS, CARISSIMIS.**

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

D. D.

AUCTOR.

1841

PARMENTIER

DE LA SOCIÉTÉ

DE LA SOCIÉTÉ

DE LA SOCIÉTÉ

PRAEFATIO.

Quibus rationibus ductus fuerim ad hoc argumentum tractandum, intelligi, ni fallor, potest ex ipsa disputatione mea, qua scilicet ostendere conatus sum, ipsam rationem, qua jus criminale jam imprimis solet considerari, ducere fere ad investiganda et perpendenda ipsa, quae jam exstant, ad delinquendum invitamenta sive delictorum causas et momenta. Sic quidem spero fore ut, si caeterum in argumento tractando dispares voluntati deprehendantur fuisse vires, tamen viri docti et periti aestiment argumentum, quod, suadente patre praeceptore, tractandum suscepi, a temporibus hisce nostris non esse alienum, sed imo vero opportunum et aptum, ad quod ulterior investigatio referatur.

Quodsi ex libris et fontibus citatis appareat me ex variis admodum proficere potuisse, id quoque patri meo grate referre licet, qui scilicet ut ex suis schedis, quibus in tradendo jure criminali uti solet, libere proficerem, permisit.

Neque aliorum mihi defuit humanitas, qui, veluti aestimatissimus et harum rerum peritissimus Vir W. H. SURINGAR, utilissimis libris commodandis operam meam valde juvarunt.

Quod ad rationem argumenti tractandi attinet, fateor, quum ad scribendum accederem, erat consilium, ex multis illis, quae jam edita sunt, judiciorum criminalium actis (Criminalrechtsfälle) varios continuo afferre casus, in quibus illae, quas deprehendisse mihi visus eram, causae, ad delinquendum impulerant aut duxerant; sed consilium missum facere coactus sum, ideo maxime, quod ejusmodi causarum enarratio non tantum magnae prolixitati daret locum, sed etiam quia vix alio ea valere posset quam ad confirmanda ea, quae ex rerum in judiciis gestarum annalibus, ex ephemeridibus etiam publicis, jam universe innotuerunt. Idcirco raro tantum causas judiciales singulas exhibere constitui.

Magis profeci ex scriptis illis de practica sive morali philosophia, de anthropologia etiam, bene multis, quae a saeculo inde praecedenti tum in Germania tum in Francia prodierunt in lucem. Profecto, cum legislatori, in legibus recte sancientis, tum judici, in causis criminalibus recte dijudicandis, tum philosopho, in earum momentis investigandis, animi humani cognitione quam maxime est opus.

Quod ad statisticas attinet, quas adhibui, tabulas, fateor, alia cogitaveram quam quae inde licuit efficere. Credebam ex tabulis illis v. c. in Francia jam per viginti circiter annos editis, plura et certiora quidem repeti posse, quod ad accuratorem attinet causarum, quae ad delinquendum du-

cunt, notitiam; et revera in iis tabulis quoque, quae ad causas illas judicandas tendunt, illa haud deficiunt, attamen rationes ita diversae saepe in iisdem aut similibus fere factis concurrunt, ut vix statui possit, quid huic, quid illi, sive causae, sive opportunitati, in factis admissis tribui debeat. Hac in re igitur eventum spem fefellisse, quam, quum ad scribendum accederem, conceperam, fateri sum coactus.

Nunc autem dulcissimum mihi restat officium, Vobis, viri clarissimi, quos in jurisprudentia habui praeceptores, gratum animum significandi. Sed, quas gratias tibi agam, Pater carissime, pro omnibus, quae in me collocasti, amoris et doctrinae tuae beneficiis; per omne vitae meae tempus id egisti, ut jurisprudentiae studium in me promoveres, sive libris mihi commodandis, sive maxime etiam consiliis tuis. Et, quum tecum agerem de materie quadam dissertationis conscribendae, viribus non nimis iniqua, hoc etiam, quod jam tractare conatus sum argumentum, ut tractandum susciperem, benevole suasisti. Quae in hac conscribenda dissertatione se mihi offerebant difficultates, eas auxilio tuo levare vel superare mihi licuit. Sed, quid hic recenseam innumera illa beneficia, quae tibi debeo. Hoc certum habeto, numquam me eorum oblitorum esse, sed magis magisque me daturum esse operam, ut, consiliis tuis obsecutus, ostendam, non in ingratum te beneficia tua collocasse.

Ne autem credas, quaeso, V. Cl. J. VAN HALL, me tui umquam oblitorum esse. Tu benevolentiam, qua patrem meum colis, filio non denegasti, et ei, quocumque loco sive quacunque causa posses, auxilio tuo adfuisti. Pro tot autem bene-

volentiae tuae erga me testimoniis gratum animum verbis significare nequeo; sed hoc scito, me eorum quae tibi, patris mei amico integerrimo et collegae amicissimo, debeo, semper grate esse recordaturum. Utinam vos Deus O. M. per longum tempus incolumes servet, etiam atque etiam opto.

Juris Professoribus in Universitate Rheno-Trajectina, qui humaniter semper me exceperunt quoties illos adirem, Promotori quoque clarissimo, quem pater quondam praeceptorem colit, pro benevolentia et humanitate gratias ago habeoque maximas.

Denique ad vos me converto, commilitones, quos in variis studiosorum sodalitiis, tum literariis, tum juridico, socios carissimos habere mihi contigit. Vivite felices, prospere vobis cedant omnia, et amicitiam mihi vestram in posterum etiam ne denegetis.

CONSPECTUS.

§ 1. Cur ante hanc aetatem nostram minus cogitabatur de causis criminum indagandis?.....p.	1.
§ 2. De Humanitatis causa jam in Jure Criminali....."	7.
§ 3. Statisticae in causis criminalibus judicandis gravitas....."	11.
§ 4. Cautè tamen Statistica adhibenda....."	23.
§ 5. Causae et opportunitates criminum universe....."	30.
§ 6. Ignorantia....."	38.
§ 7. Morum Corruptela....."	50.
§ 8. Religionis Contemptus....."	55.
§ 9. Luxuries....."	62.
§ 10. Aleae lusus....."	69.
§ 11. Ebrietas....."	75.
§ 12. Avaritia....."	82.
§ 13. Paupertas....."	84.
§ 14. Vitia legum et institutorum in Civitate....."	93.
§ 15. Causas criminum indagare difficile....."	106.
§ 16. De Regula: in suo vitio quisque plectatur....."	109.
§ 17. Conclusio....."	115.

CONTENTS

1. Introduction 1

2. The first part of the work 2

3. The second part of the work 3

4. The third part of the work 4

5. The fourth part of the work 5

6. The fifth part of the work 6

7. The sixth part of the work 7

8. The seventh part of the work 8

9. The eighth part of the work 9

10. The ninth part of the work 10

11. The tenth part of the work 11

12. The eleventh part of the work 12

13. The twelfth part of the work 13

14. The thirteenth part of the work 14

15. The fourteenth part of the work 15

16. The fifteenth part of the work 16

17. The sixteenth part of the work 17

DISPUTATIO

DE

CAUSIS CRIMINUM.

§ 1. *Cur ante hanc aetatem nostram minus cogitabatur
de causis criminum indagandis?*

Hisce temporibus quum non, ut ante saeculum, idem ad poenas omnia referendi et severissimis imo crudelissimis suppliciis crimina vindicandi studium exstet, sed humanitatis maxime sensu ducti legislatores eo se applicent, quo poenis etiam levioribus, at efficacibus tamen, delinquentes in meliorem viam reducantur, magis etiam quam antea respicitur ad animi conditionem, in qua delinquens versabatur, ad propositum quod reus sibi habuerit, ad causam commissi criminis, ut ita, iis medendo, criminum delictorumve numerus minor minorque fiat. Antea mechanice magis poenâ coercendum facinus existimabatur¹. Bruta vis fere cogitabatur; si numero increscere viderentur delicta, poenis

¹ De puniendi ratione initio societatis civilis dicit *the Athenaeum*, 1846, N^o. 1759, p. 199: »into which are naturally imported the principle of brute force that made the strength of the barbarous condition.»

gravioribus videbatur esse opus. Inquirere in causas et opportunitates, quae ad crimina duxerint, et eas coërcendo crimina in antecessum avertere, res erat, de qua parum erant solliciti.

Olim igitur minus respiciebantur causa et propositum poenarum. Dicitur apud PLATONEM in *Protagora*, 324 A. de eo qui *ἀλογίστως ὡσπερ θηρίον τιμωρεῖται*, et ita profecto saepe et vulgo quidem agebatur.

Longe abest sane ut KANTIO et FEUERBACHIO iisque, qui illorum vestigiis institerunt, debitas laudes tribuendas negem, pro eximiis eorum in juris criminalis doctrina constituenda meritis, sed diffidendum tamen non est, fundamenta, quibus eorum doctrina niteretur, rigidam illam et severam juris absoluti doctrinam, absterrendi etiam illam theoriam, multa ad jus criminale referri non sivisse, quae humanitatis causam spectantia ad vitam socialem pertinent, cujus commodis etiam per statum juris certi et tuti est prospiciendum. Omnia sic ad coactionem, ad poenam, ad mechanicas adeo coërcitiones, ad metum incutiendum maleficis referebantur². Juris doctrinam illi omnes spectabant per se constantem, ab omnibus affinibus doctrinis separatam, in qua unum jus spectaretur, tam quod ad argumentum attinet quam quod ad principia, e quibus gravissimae vitae socialis quaestiones sint dirimendae, uti quoque rationes, ad eas rite solvendas adhibendae, ex uno juris fundamento videbantur ducendae. Ita igitur quae religio-

² Praeclare sic OERSTED, *Grundregeln der Strafgesetzgebung*, 1818, p. VI, praef: »die äussere Rechtsordnung sollte durch Zwang begründet werden; auf Gottesfurcht, Liebe, Rechtssinn, Ehrgefühl sollte nichts beruhen.—In einem solchen Mechanismus musste die Furcht vor der Strafe das vorzüglichste Triebrad seyn.»

nis erant et doctrinae moralis prorsus videbantur repudianda. »Cogendi vi, poenarum minis, metu, legem violentibus injecto, similibusque mediis, externe solummodo homines afficientibus, cum legum obsequium effici, tum subinde jus quoque tutum reddi affirmabant, idque aliis persuadere adnitebantur.»

Haec verba quum afferre liceat viri consultissimi VAN HEES, etiam addenda sunt, quae proxime subjungit¹: »Nec tamen ejusmodi doctrinae calculus videtur adjiciendus. Etenim quam parum sola ista momenta sufficiant et quam contra necessarium sit, ut internis momentis, quae a virtutis vel honoris studio proficiscantur, cives itidem ad legum observantiam permoveantur, quaerentes diu nos latere nequit. Quodsi enim perspecta nobis est multarum legum et institutorum cujusvis aetatis, ne nostra quidem excepta, conditio, non potest non, quin eadem quam saepissime ita comparata nobis appareat ut optati exitus revera a benevolentia atque probitate civium potius quam quidem a mali minitationibus sperari possint.»

Ad moralem ordinem in civitate tuendum poenas et jus criminale inservire recentiores merito censuerunt. Olim si de crimine ageretur, unice cogitabatur de poena ad factum referenda² et poena tamen unum est tantum ex multis variis, quae ad crimina sistenda usurpari possunt, remediis. Removendo momenta, quae ad crimina ducunt, longe efficacius etiam salutem et securitatem publicam prospicitur

¹ P. M. G. VAN HEES, *Dissert. de juris absoluti usu ex necessitate moderando*. Traj. ad Rh. 1834, p. 98 sq.

² SPANGENBERG, *über die sittliche und bürgerl. Besserung der Verbrecher*, Landshut, 1821, p. 29: »Fast alle Schriftsteller haben die Verbrechen nur in Beziehung auf deren Bestrafung betrachtet.»

quam poenam infligendo propter facta admissa. In iis referendus praesertim HENKJUS¹, qui, uti omnis legislationis, ita etiam juris puniendi fundamentum ponit in idea justitiae, quae, uti in ipsa morum doctrina universalem agendi legem constituit, ita in jure quoque et variis juris partibus harmoniam quamdam in hominum vita sanciat, oportet, qua sola homines locum in rerum creaturarum serie suam tenere et tueri possunt. Et sic etiam hodie ad moralem ordinem in civitate tuendum inservire oportere jus criminale merito censuit V. CL. ROSSI, cujus locum quemdam proprie huc pertinentem hic apponere liceat²: »Mais l'ordre politique et l'ordre moral ne sont ils pas liés par les rapports les plus étroits et les plus intimes? Ce sont les rapports du moyen au but. L'ordre social n'est qu'un moyen de développer et de maintenir, en ce monde, l'ordre moral. Il y a action et réaction de l'un sur l'autre, à mesure que l'ordre social se perfectionne, la connaissance de l'ordre moral s'élève et s'étend; du sentiment profond, éclairé, universel de l'ordre moral, il résulte nécessairement l'amélioration de l'ordre politique dans les sociétés civiles.»

Philosophia etiam praecedenti saeculo haud raro salutarem efficaciam Christianae religionis in negotiis vitae regundis nimis arcuerat. Ad tristem mechanismum aliquando ducebat tanta illa, quae tunc habebatur, juris et morum doctrinae separatio³. At vero exstiterunt qui illud reli-

¹ *Handb. d. Criminalrechts*, initio; item in *neues Archiv d. Criminalrechts*, I, P. 2, N^o. 9, p. 257.

² Rossi, *Traité de droit pénal*, initio.

³ »Das Christliche Element, welches doch die Seele des Staatslebens der neuern Zeit seyn soll, muss die unbengsame Macht des Mechanis-

gionis et juris et politices discidium animadverterent, qui monerent, jus denuo cum morum doctrina copulari oportere, ut averterentur maxima detrimenta, quae ex earum doctrinarum separatione civitates fuerant passae.

Philosophiae tamen studium, imprimis in Francia versus finem saeculi praecedentis, ducebat ad causas criminum investigandas, ut numero criminum augescenti in Francia obviam iri posset. Academia quaedam, dicta de Châlons sur Marne, anno 1780, proposuerat ea de re quaestionem, ad quam respondit BRISSOT DE WARVILLE, cujus commentatio: *Moyens de prévenir les crimes*, inserta legitur Bibliothecae philosophicae legislatoris ab hoc publicatae¹; sed parum valuerunt illa consilia in vita civili. Non nisi diu post ea valuerunt ad jus criminale flectendum et temperandum. Anno autem 1773 jam ab Academia Mantuana quaestio proposita erat de causis criminum et modis crimina arcendi². An responsa acceperit, ignoro; hoc vidi, fuisse qui tunc temporis, num ad quaestionem responderi posset, valde dubitarent³.

Observatum est⁴, et merito, ut videtur, philosophiam juris criminalis, quae initio hujus saeculi tractabatur, fuisse magis theoreticam, sive speculativam, quam practicam, quum

mus, der das Geistige im Menschen zu ersticken droht, von neuem mildern und veredeln." *Ueber d. sittliche und bürgerliche Besserung der Verbrecher*, etc., von E. SPANGENBERG, Einleitung, p. XIII.

¹ *Bibliothèque philos. de Législation*, Tome VI, initio. Berolini, 1782.

² »Assigner les causes des crimes, indiquer les moyens de les détruire, s'il est possible, ou d'en prévenir les effets," etc.

³ »J'ai vu qu'il était presque impossible de traiter cette question d'une manière satisfaisante. Est-il possible d'assigner les causes de tous les crimes? Peut-on assigner celles du parricide, suicide, du vol?" caet. *Bibl. Philos.* V, 295.

⁴ ZÖVEL, *Heidlb. Jahrb.* 1843, p. 511, sqq.

versaretur inprimis in quaestione tractanda, quo jure Civitas punire possit. Progressus autem jam in eo spectandus est, quod philosophia juris criminalis jam magis ad vitam et ad praxin referatur. Doctrina philosopha juris criminalis jam non amplius intelligitur, abstractarum quarumdam notionum theoria, sed longe magis complexum continet placitorum ex vitae etiam communis observatione petitorum. Eo quum jam philosophia juris criminalis relata sit merito, nunc quoque in causas criminum investigari coeptum est, uti antea id factum non fuerat. Scilicet vere haec est philosopha disquisitio, quae vitam communem attendit et praxin juris.

Quantopere etiam hominis cognitio necessaria sit judici, ut omnium actionum, delictorum inprimis, fontes et causas indaget, recte viderunt, quibus de necessitate juris criminalis placita aequae adhibendi fuit persuasum ¹.

His consiliis obsecuti profecto sunt Imperantes qui peculiare de causis criminum investigationes instituendas monuerunt ². Narrarunt jam ante aliquod tempus Diaria, celebres tres in Borussia Jurisconsultos, TEMME, NOERNER et HÜBER occupatos esse in amplo conscribendo opere *de causis criminum*; addebatur, publica auctoritate iis aditum patet factum esse ad omnes relationes et acta publica, e quibus ad opus suum locupletandum possint proficere ³. Sed, an propositum operis jam effectum habuerit, ignoramus.

Et ita quidem hac aetate nostra complures hujusmodi

¹ BRISSOT DE WARVILLE, *Bibl. philos. de Législation*, IV, p. 81 sqq., inprimis p. 96 sq.

² In Borussia jusserat rex FREDERICUS GUILIELMUS III: »dass über die Ursachen der Verbrechen und ihrer Vermehrung gutachtliche Berichte erstattet werden sollten.«

³ *De Referent*, 1844, p. 111.

disquisitionem instituisse nobis porro apparebit. Uti autem, qui de causis morborum quaerunt per quos delicta augeantur, aequum est, eos pariter de remediis quaerere, per quae sanatis morbis crimina minuantur, ita multos quoque duplici ea ratione de humanitate bene mereri studuisse videbimus¹, quum et causas criminum indagaverint, et simul quaesiverint de optimis remediis adhibendis, per quae tollantur quae ad crimina committenda soleant invitare et ducere. Et ita nos quoque duplicem illam investigationem instituere pro viribus conabimur.

§ 2. *De Humanitatis causa jam in Jure Criminali.*

Quo magis apud gentes recentiores Europae humanitatis causa dominari coepit, eo magis ad reorum et condemnatorum conditionem animum adverterunt viri docti et philosophi. Sic post BECCARIAM imprimis ad humanitatem provocari coeptum est in causis criminalibus, non vero semper sine justitiae detrimento. Puniendum esse eum qui deliquerit, jam monebat CICERO, »non quoniam deliquit, sed ne in posterum iterum delinqueret. In vitio suo quisque plectatur.» Idem vir summus *Catilin.* IV, c. 6, justo tempore omnino poenam sumendam esse monebat, dicens: »si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur, sin remissiones esse voluerimus, summae nobis crudelitatis in patriae civiumque pernicie fama subeunda est. Vereamur igitur ne in hoc scelere tam immani ac nefando minus aliquid severe statuere videamini, cum multo magis sit verendum, ne remissione poenae crudeles in patriam, quam

¹ C. VON MAUSCHWITZ, *über Strafgefängene.* Berlin, 1843, p. 61 sq. quaesivit »über Vermehrung und Verminderung der Verbrechen.»

ne severitate animadversionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamur.”

Misericors qui est erga reos aut condemnatos, in se quidem nihil mali facit; nusquam praecepta moralia in misericordia aliis praestanda delinquentes et condemnatos excipiunt; si autem ea misericordia eo procedit, ut rei aut injuria liberentur, aut poena afficiantur justo leviori aut tali, ut eorum conditio melior foret quam ea pauperum multorum, iniqua est talis misericordia. Nam qui injuste malis providet, crudelis est erga bonos. Si enim eos qui deliquerunt ita tractamus ut non maleficorum in conditione versari videantur, sed ea utantur, qua frui multis aliis caeteroquin bonis civibus non licet, boni certe habent quod maleficorum sorti invideant; et quis non videt bonos allici ad delinquendum, si vident maleficorum conditionem meliorem esse quam suam?

Verum est, conditionem reorum et damnatorum hac aetate longe meliorem esse quam antea, et tribuendum hoc humanitatis sensui, qui merito reos et criminum convictos tinetur, dum eos liberet a tantis illis doloribus et cruciatibus, quibus illi olim nulla de justa causa obnoxii fuerunt; sed sensus humanitatis jam eo nos ducere debet, ut mali homines ad meliorem vivendi rationem, quantum fieri potest, instituantur, itaque ut eos vitae ante male peractae poeniteat, non vero ut poenas iis justo leviores infligamus, quae non efficaciter delicta reprimunt. Uti autem verae humanitati, qua homo nihil humani a se alienum censet, impense favendum, ita quam maxime arcendus est contra, cum ex juris criminalis usu tum ex vita communi, falsus ille, qui immerito humanitatis nomine aliquando ornatur, amoris et benevolentiae sensus, qui justos et injustos, probos et malos, innocentes et noxios eodem loco ha-

bens, dum in facinorosos homines praemia confert, erga justos et probos iniquissime agit. Ita ad humanitatem provocatur non nisi cum gravi justitiae detrimento. Certe prodierunt ex illa schola philosophi, qui humanitatem (nonnullis sextus sensus dicebatur ¹), adeo commendarent ut scelerum defensores, impunitatis patroni viderentur potius, quam aequi criminum atque poenarum aestimatores. Illi umbraticae doctrinae professores miseram reorum sortem ita saepe deplorabant, ut, crudeli quadam misericordia, publicam quietem et bonorum civium salutem in gravissimum haud raro adducerent discrimen.

Fateor, querelae jam ea de re motae sunt, quo tempore, num juste moverentur, valde licet dubitare. LEYSERUS jam in *Spec. ad Pand.* 644, *medit.* 5, significat, in multorum hominum animis altas radices egisse opinionem hanc reipublicae pestilentissimam, quod judicem maleficis, quantum potest, parcere, et in puniendo levem esse oporteat, et addit: »huic, si diis placet, egregiae doctrinae innumerabilem furum et latrunculorum multitudinem, qua obrui-mur, debemus.” Sed abusum sic spectat tantum, quum ipse seq. *Spec.* 645, *medit.* 4, profiteatur, et ex gratiae et ex justitiae praeceptis aliquando legem duram ex aequitate molliri et temperari oportere. BOEHMERUS postea, in praef. ad *Observationes in CARPZOVIVM*, querebatur, in id vitium jam tunc incidisse iudices, quum vereri se profiteretur, »nt in posterum fatalem sortem subitura sit jurisprudentia criminalis, si, quae passim maturescere et occupare integra collegia videtur, opinio de sententia mitiori, profligato omni prorsus rigore, in iudicando eligenda, majora ceperit incrementa;” at vero eum falsam tantum humanitatis et aequi-

¹ »L'humanité, c'est un sixième sens.” SERVAN.

tatis speciem se persequi, non veram repudiare, ostendunt quae porro addit: »Equidem humaniori jurisprudentiae non invideo, aut dicam scribo, sed contra abusum et nimiam atque promiscuam rigoris temperaturam, quae tandem in imbecillitatem degenerat, disputo.” Cerebrinam tantum odio habet aequitatem, nulla ratione suffultam, imo potius clarae legi contrariam, aut saltem ad eludendam legis sanctionem paratam, quae tanto perniciosior est in republica, quanto magis incorrupta justitia sub ea vilescit, omnisque sanctio paullo rigorosior, effectu spectato, inutilis futura est.

Monita illa contra humanitatis abusum sane magis etiam suum teneant locum est necesse, postquam per BECCARIAM humanitatis illa causa apud multos in jure criminali sola regnare incepit. In extremum excurrere solere homines, haec etiam observatio nos docet. Si olim crudelia et horrenda supplicia sola sufficere posse censerentur ad malevolos et facinorosos compescendos, postea fere omnis poena paulo efficacior nimis gravis visa est delinquenti, cujus sortem omnes deplorarent, ipsam justitiae curam, ut facinorosi puniantur, exigere non cogitantes. Scelerum defensores sic exstiterunt magis quam aequitatis humanitatisque justae aestimatores¹. Sensum igitur humanitatis non semper rexerunt ex prudentiae et justitiae placitis. Saepe indulgentia locum occupavit juris, et erga proborum hominum securitatem negligentes fuerunt, qui humanitatem unice in reis et condemnatis spectarent.

¹ Dicit ita de BECCARIAE libello MERLIN, *Répert. voce Peine*: »Il se flatte avoir plaidé et gagné la cause de l'humanité, mais on peut lui dire avec plus de vérité; qu'il a plaidé la cause de la scélératesse et qu'heureusement il l'a perdue.”

Ad gravissima mala haec duxerunt. Dicit haec de re vir Ampl. DE GERANDO, *de la Bienfaisance publique*, III, 432: »Les dispositions d'horreur pour le crime, le respect pour la majesté des lois morales, sont tombées dans un affaiblissement général; les notions du juste et de l'injuste sont altérées dans l'esprit de la multitude; Elles le sont même, dans la classe instruite et élevée à un degré moindre sans doute, mais elles le sont en réalité dans l'esprit de chacun de nous." Operae pretium est animadvertere haec vitia ingenuè agnoscere eos, qui jam de emendatione juris criminalis et de carceribus et ergastulis melius instituendis quam maxime sunt solliciti. Imo vero dixeris eos propter id ipsum tantam in hoc negotio collocare curam. Cautè igitur humanitatis sensui erga malos indulgendum esse, ex dictis haud dubie videtur sequi, et patroni tantae illius humanitatis erga maleficos, ut rei natura ferebat, excitarunt alios, qui monerent, non sufficere praeclara illa moralis doctrinae praecepta, sed jus exercendum esse; severe ad maleficia coërcenda poenas infligendas esse, ut mali a delinquendo desistere discant¹ et sic optime consuli humanitati illorum proborum et justorum hominum, qui tamquam tranquilli cives in civitate viventes a delinquendo se abstinerunt.

§ 3. *Statisticae in causis criminalibus judicandis gravitas.*

Quod hisce demum temporibus magis magisque de tabulis statisticis conficiendis fuerit actum, mirum non videbitur ei, qui cogitet, quanta auxilia habeat necesse est, qui

¹ HEYNIC, *Moral und Recht sind eins*, etc. Zwickau, 1803.

eas satis perfectas efficere velit. Antiquitus enim non illa aderant praesidia, arcana plerumque usurpabatur negotiorum publicorum gerendorum ratio. Magistratus multi, singuli in suo munere versantes et aliis non subjecti, negotia sua sibi servabant, neque de iis quidquam in publicum proferri sinebant. Nunc autem, quum publice magis geruntur civitatis negotia, quum administratio Reipublicae magis etiam sit una (quo nomine etiam systema illud centralisationis vocatur), imperantes non solum sed et cives melius judicare jam possunt de iis, quae in regione memoria digna fiant quotidie, et Imperantes, publicandis iis quae ita cognoverint, incolis opportunitatem dant ad quid ea ducant investigandi. Ita etiam tabellae statistices de juris criminalis administratione exstiterunt in variis regionibus. In Anglia jam ab anno inde 1808 authenticas de rebus criminalibus tabulas edi curant qui Reipublicae praesunt, quales etiam in Francia jam quotannis in lucem edi curat justitiae regius minister. Ostendunt hae, illos, quibus earum componendarum negotium mandatum est, maxime eo incumbere, ut genere suo quam perfectissimae sint, eaque omnia contineant, ex quorum cognitione aliquid in publicos usus profici possit¹. Multae aliae Europae regiones Angliae et Franciae secutae sunt exemplum, uti Belgium, Norvegia, Magnus Ducatus Badensis, caet. sed nusquam tanta cum cura hoc negotium tractatum quam in Francia.

Tabellae illae statisticae Franciae sunt iam numero 166, quarum 73 priores agunt de numero criminum et accusatorum, pro varia regni parte, de reorum aetate, sexu, vivendi modo, cultu sive ignorantia; exhibetur porro, quot crimina gravia commissa sint a singulis, ad quae crimina

¹ Cf. V. CONS. V. BAUMHAUER, in *Weekblad v. h. R.*, N^o. 732.

una alterave causa duxisse videatur. Tabellae 74—102 nobis ostendunt, quot delicta dijudicata sint a tribunalibus correctoriis, addentes aetatem et sexum delinquentium. Tertia pars, de repetitis criminibus agens, in 28 tabulis nobis exhibet numerum eorum, qui, post condemnationem anteriorem quam subierunt, libertati restituti (condamnés libérés) denuo crimen delictumve commiserint, quatenus eorum fuerit aetas, sexu, cultus. Quarta pars tribunalia politiae, quae dicuntur, complectitur, quum quinta spectat methodum procedendi in causis criminalibus, cujus partis tabulae, 18 numero, eo inserviunt, ut distinguatur modus, quo causae ad ministerii publici cognitionem fuerint perlatae, quo modo judicatae sint a varis juris dicendi ordinibus, quotque fuerint causae in quibus absolutio persecutioni imposuit finem, sexta denique pars de curiae cassationis sententiis agit.

Edi coeperunt illae tabulae de Juris Criminalis administratione in Francia anno 1827, complectentes annum 1825 et ab eo inde tempore quotannis novae in lucem eduntur tabulae.

In Anglia Tabulae statisticae criminales non eadem perfectione insignes sunt qua Francicae. Illae, quae annum 1844 spectant, 58 constant tabulis. Postremis autem annis magnopere sunt auctae, et REDGRAVE, FLETCHER, CRAWFORD, RUSSELL, aliique huius rei peritissimi viri optime de eo instituto mernerunt¹.

Simulac in patria nostra GUILIELMUS I Rex sibi persuasum habuerat de utilitate statistices tractandae universae, viris nonnullis, decreto 3 Julii 1826, munus mandavit statisticam patriae nostrae elaborandi. Ut ultro intelligitur, causae cri-

¹ Cf. *Themis*, *Rechtskundig Tijdschrift*, VII, p. 482 sq.

minales quoque ad statistices argumenta pertinere visae sunt, et authentica collectio altera, quae publicata est anno 1829, varias comprehendit de causis criminalibus et de carcerum conditione anno 1827 tabulas ¹. Sed postea hac in re, quantum scio, nihil amplius civitatis nomine editum fuit, quod valde dolendum ².

In Belgio Meridionali Minister regius rebus internis prae-positus publicandum curavit *Statistique des Tribunaux de la Belgique, pendant les années 1826—1830*. Anno 1835 minister justitiae Regi aliud volumen de justitiae administratione per annos 1831—1834 dedicavit. Postea volumen editum anno demum 1843, annos complectens 1835—1839. Magis magisque ad Franciae tabellas accedunt hi statistices fontes, ita ut hodie nonnisi paululum ab iis differant.

In regione Badensi rerum Criminalium tabulae confectae et editae jam sunt inde ab anno 1829 titulo: *Uebersicht der Strafrechtspflege im Grossh. Baden* ³.

Etiam in Russia de statistica rerum criminalium annuae tabulae publica auctoritate conficiuntur. Ex iis autem, quae ea de re nobis innotuerunt ⁴, parum licet efficere, quod ad causas et opportunitates attinet, quae ad crimina

¹ *Tweede Verzameling van Staten, uitgegeven door de Commissie voor de Statistiek*. 's Hage, 1829, ubi occurrunt, sub titulo *Regtspleging: Hoven en Regtbanken, Misdaden en Misdrijven(?) Vonnissen en Veroordeelingen (1827) 6 Staten. Gevangenen, Staat der Gevangenen (1827) 3 Staten*.

² *Themis, Regtskundig Tijdschrift*, IV, p. 102, VII, 481.

³ *Statistique Criminelle du Grand-Duché de Bade pendant les dix années antérieures à 1840*, par M. A. SALAMAN. *Revue Etrang. de Législ.* IX, p. 311 sqq. X, 326 sqq. *Bijdr. tot Regtsgel.*, VI, 353, 791.

⁴ *Die neueste Criminalstatistik in Russland von 1833—1839, dargestellt von H. L. JAKUBOWSKI*, in *Zeitsch. für Rechtsw. d. Ausl.* XIV, init. — Cf. IX, 341.

committenda duxerint. Profecto dolendum est, non accuratius de singulis illis constare, quum vastum illud Russorum imperium populos complectatur diversae originis in diversissimo etiam cultus et humanitatis statu degentes. Dum in Asiae desertis circumvagantur barbari nomades, alii in Europa ad summum fere accesserunt cultus et humanitatis gradum. Sane si accurate ad suas causas singula ibi commissa facinora possent reduci, quod ad moralem conditionem populorum, quod ad cognitionem etiam historiae humanitatis, egregie inde profici posset.

In Bavaria anno jam 1816 publicatae sunt tabulae de causis perlatis ad tribunalia appellationis, de quibus conferri possunt *Jahrbücher der Gesetzgebung und Rechtspflege im Königreich Baiern*, von GÖNNER und SCHMIDTLEIN, III, p. 71 sqq.

In Bavariae parte ad Rhenum jacente (Bavaria Rhenana) procurator publicus curiae appellationis Bipontinae statisticas quasdam tabulas quotannis edi curat ¹.

De Statistica Criminali in Magno Ducatu Hassiae conferri possunt Annales BÖHMERI ².

In Austria ad Curiam summam (Oberste Gerichtshof) quotannis a curiis singularum provinciarum statisticae tabulae mittuntur, quae ab ea in certum ordinem rediguntur ³. De re ipsa agunt §§ 550 sqq. codicis criminalis Austriaci, cuius § 553 postulat causarum enumerationem criminum numeri vel aucti vel diminuti. De tabulis annos 1824—1828 spectantibus conferri omnino potest: Ta-

¹ MASSON, *Revue Etrang. de Législ.* VIII, p. 219 sqq.

² *Zeitschr. für Gesetzgebung und Rechtspflege des Churfürstenthums und Grossherzogthums Hessen*, von BÖHMER, DOPP und JÄGER, Vol. I, part. 3.

³ THEMIS, Herausgegeben von TANNEBERG, B. I, p. 458.

bellarische Uebersicht der in der Oesterreichischen Monarchie, mit Ausschluss von etc. — zur Kenntniss der Criminalgerichte gelangten Verbrechen und ihre Bestrafung von den Jahren 1824—1828, in *Zeitschr. für Oesterr. Rechtsgelahrtheit* von WAGNER. 1830. Parte II, p. 305, Cf. JULIUS, *Jahrb.* Vol. IX, pag. 16.

De Juris Criminalis administratione in Borussia praecedenti jam saeculo occurrunt Tabulae in KLEIN, *Annalen*, Vol. II, p. 319. V, 307. VII, 337. XVII, 181. XIX, 220. Quotannis autem in Annalibus viri von KAMPTZ für die Preussische Gesetzgebung occurrunt Tabulae de Juris Crim. Statistica. De Jure Crim. in Borussico imperio multa occurrunt memoria digna, cum in relationibus authenticis a Ministro Justitiae profectis, tum e variis scriptis iuridicis alibi iam indicatis ¹.

In ea parte regni Borussici quae ad Rhenum sita est, — quae antea suum justitiae administrum habebat, sed postea ministro regio justitiae, quod ad justitiae administrationem, subdita est, — editae sunt tabulae annos 1837 et 1838 spectantes, quae laude dignae sunt et recensentur a Viro Ampl. MASSON ².

In Saxonia edita est anno 1834, a collegio, cui nomen *Central-Comité des Statistischen Vereins*, operum pars V continens statisticam juris Criminalis.

De Wurtembergici juris Crim. administratione per annos

¹ *Themis*, 1. cit. p. 484. Discimus ita ex tabulis Borussicis, quomodo numerus criminum ibi adauctus sit, et videmus Berolini, ab annis 1816—1836, quum incolarum numerus sit auctus in duplum (170,000—340,000) numerum criminum, anno 1816, 876, anno 1836 jam ad 3439 auctum esse, ita ut quater sint aucta crimina, incolae tantum bis. Cf. diarium, *Allgem. Zeitung*, 31 Julius 1841.

² *Revue Etrang. de Législ.* VIII, 738 sqq.

1819—1828, 1828 et 1830. Conferri possunt Annales carcerum (*Jahrb. d. Gefängnissskunde*) Vol. II, p. 291, III, 36, V, 179, VII, 106.

In Helvetia publica auctoritate non prodierunt tabulae statisticae, nonnullarum tamen regionum statisticam criminalem cognoscere possumus. Ita quae per annos 1826 et 1827 in Freiburgensi regione et Genevae commissa sint crimina nos docet JULIUS¹. De regione Valdensi per annos 1803—1827 idem agit scriptor².

Tabulae de Jure Criminali statisticae in regione Basel nos docent, numerum criminum ibi quotannis ab annis 1815—1826 minutum fuisse. Numerus criminum ibi ita decrecebat, ut, quae anno 1815 erant numero 93, anno 1826, numerum tantum 30 attingerent³.

In Hispania editae sunt anno 1827 mense novembri tabulae statisticae numerum delinquentium continentes. De iis conferri potest HITZIG⁴.

De Justitiae Criminalis administratione in America compositae sunt tabulae etiam ab advocatione LAGARMITTE Parisiensi, cujus operis mentio occurrit in V. Cl. MITTERMAIER et ZACHARIAE *Kritische Zeitschrift für Rechtsw.*⁵.

Utilissimas autem esse Statisticas de Juris Crim. administratione tabulas ad recte cognoscendos populi cujusdam mores a multis merito observatum; et praecipue quidem eo valent illae ut de Legum poenaliu efficacia judicare possimus et inde efficere, legem criminalem recte omnino ap-

¹ *Jahrb.* I, 281 sq. et V, 84.

² *Jahrb.* I, 294 sq.

³ *Hitzig's Zeitschrift*, VII, 169.

⁴ *Annalen der Deutsche und Ausl. Criminalrechtspflege*, Vol. I, Pars 2, 369, de anno 1829 idem agit eodem VII, 380.

⁵ Vol. IV, 103.

plicari, ubi inter poenam scriptam et delictum commissum justa adest ratio, dum contra ejusmodi justa applicatio soleat deficere, ubi illa ratio deest¹. Idem etiam monet vir Amplissimus BARTHE, justitiae in Francia minister, qui anno 1838, d. 18 Decembris, de utilitate Tabularum statisticarum haecce dicit: »C'est un document utile à la science du Droit Criminel, qui, sous des résultats généraux, toujours à peu-près semblables, peut découvrir les passions, les entraînements, les intérêts, qui influent sur la moralité des individus et les déterminent au crime. Enfin ces relevés si exacts, si rigoureux, éclairent les discussions législatives, y apportent la certitude; ils font juger aussi les lois, car ils montrent leur influence et indiquent leurs résultats²."

Leges etiam Criminales multae longe aliter profecto se haberent, si melius quae juris conditioni praesenti deessent cognovissent legislatores, auditis rerum peritis, uti in Anglia locum habet, et adhibitis tabulis statisticis de juris criminalis administratione; nam si, quae iis continentur facta, accurate collecta sunt, causasque, quae ad delinquendum incitaverint, tam generales, quam speciales, loci aut temporum, indagaverint, multum lucis sane inde haurire possunt qui legum condendarum munere funguntur. Et ea ratione quidem praesidia optima colligi possunt, quae ad providam legum curam malis medentem ducere possint³. Uti enim medici, et morbos ad aegrotantium lectos observando, et ex anatomia cadaverum, eximie possunt

¹ V. Cl. MITTERMAIER, in CENSURA operis QUETELET *Lettres A. S. A. Le duc de Saxe-Cobourg*, in *Krit. Zeitsch.* Heidelb. 1847, Pars 1.

² *Rapport sur l'administration de la Justice Criminelle en France pendant l'année 1836*, p. xxx.

³ V. Cl. MITTERMAIER, *Krit. Zeitschr.* 1847, Parte 1, p. 156.

proficere ad hominis conditionem physicam recte pernoscendam, ita ex judiciis criminalibus moralis hominum natura illustrari potest.

Mira videri possent verba viri cons. Guerry, *Essai de physique sociale*: »Il est un budget qu'on paye avec une régularité effrayante, c'est celui des prisons, des bagnes et des échafauds: c'est celui là surtout qu'il faut s'attacher à réduire." Tabulae autem statisticae de Juris Crim. administratione non solum ipsum illud experientia confirmant, sed etiam sequentia alius scriptoris verba vera esse ostenderunt ¹: »Ainsi l'on passe d'une année à l'autre avec la triste perspective de voir les mêmes crimes se reproduire dans le même ordre, et attirer les mêmes peines dans les mêmes proportions." Tabulae autem hoc ostendentes legislatori indicant, si causae ad crimen moventes caedem exstare pergant, eundem etiam criminum delictorumve fore numerum. His causis itaque medelam afferat, si crimina magis magisque diminui serio cupiat. Et hoc quidem non ex unius cujusdam brevissimi temporis observatione fieri potest, sed ex tabulis demum multorum annorum inter se comparatis id effici poterit, quum inde possit apparere quod duxerint, quae in Jure Criminali mutata sunt, aut quam vim ea in re mores habuerint.

Sunt qui contendunt, fatali quadam necessitate homines ad delinquendum adstringi, homines qui deliquerunt nihil aliud esse nisi instrumenta, quorum ope delicta ex sociali vita necessario oriunda committuntur, idcirco hominibus illis, ea delicta tamquam causis aut auctoribus tribuenda esse negant ²: sed recte contrarium animadvertit vir ampl.

¹ QUETELET, *Recherches Statistiques sur le Royaume des Pays-Bas*, 1829, p. 43.

² QUETELET, *De l'Homme ou Physique Sociale* Versio Germ. Stuttg. 1838.

de LAMARTINE in coetu delegatorum 17 Martis 1838: »Rien ne serait plus immoral, que cette sorte de *fatalité* sur laquelle le criminel rejeterait tous ses crimes. On se croirait le droit de se livrer à tous les désordres en se disant: J'aurais été vertueux, si la société de mon temps eût été mieux faite. Sans doute il y a action et réaction de l'individu sur la société, et de la société sur l'individu. Mais les imperfections de l'une ne justifient pas les crimes de l'autre. Le désordre social ne détruit pas la liberté morale de l'homme, et dans la société, même les plus vicieuses, le crime a été crime et la vertu a été vertu.»

Sunt hodieque, qui, antiqua probantes, recentiora spernentes, magnifice existimant de saeculorum, quae nostrum praecesserunt, conditione, etiam praesertim quod ad mores attinet. Sed rerum criminalium statistica eos monet quoque ut a tantis illis laudibus se abstineant. Ex comparatione enim instituta apparuit, saec. 17^o non minori numero crimina in Francia commissa fuisse quam hodie¹. Statisticae quoque illae rerum criminalium Tabulae saepe viris doctis eximiam praebuerunt opportunitatem, ea, quae sic ad publicam notitiam perducerentur, observationibus illustrandi. Valde laudanda etiam est haec opera, quae efficit nempe, ut certus possit existere Annalium Criminalium practicus vere usus².

Dictum celebratur SCHILLERI, summi poetae Germanici :

p. 672. »Die Gesellschaft bereitet das Verbrechen vor, und der Schuldige ist nur das Werkzeug, welcher jenes vollführt.»

¹ BERRIAT DE ST. PRIX, *Comparaison approximative de la criminalité en France au 17^e et 19^e Siècle* in *Revue de Dr. fr. et Etr.* 1845, II, 461 sqq.

² BENOISTON DE CHATEAUNEUF, *Sur les résultats des Comptes de l'admin. de la justice criminelle en France de 1825—1839*, in *Séances et Travaux de l'Acad. des Sciences mor. et polit.* 1842, I, p. 324 sqq.

»In der ganzen Geschichte des Menschen ist kein Capittel unterrichtender für Herz und Geist, als die Annalen seiner Verirrungen" etc. ¹. Leges et legum executio ostendunt quae sit morum et humanitatis in populo conditio ². »Nous ne connaissons pas de moyen plus sûr d'étudier une époque, que d'interroger les documents judiciaires qui s'y rattachent, que de passer en revue la législation qui y était en vigueur. Les lois en effet sont rendues pour des besoins du moment, qui ne sauraient se manifester ailleurs avec plus de vérité et d'exactitude. Les jugements, qui appliquent ces lois, nous font connaître avec quel esprit de violence ou de douceur elles étaient exécutées, et dès lors nous voyons d'un seul coup d'oeil, quel était l'état des moeurs et des habitudes sociales au temps que nous embrassons dans nos recherches." Caeterum, qui ex tabulis statisticis aliquid efficere velit, non cas adeat, systema in mente habens praconceptum, sed, ab omni partium studio, a praehudicatis opinionibus omnibus immunis, accurate rationes et causas investiget. Observare recte, et observationibus non solum secundum veritatem uti, sed etiam moderate, ecce praecceptum quod sequatur ni fallor necesse est, qui e tabulis statisticis vere proficere velit. Sed haec tam egregie persecutus est justitiae in Francia administer SAUZET in prooemio ad statisticas rei criminalis Tabulas anni 1834 ut ipsum locum, licet longiorem, integrum apponere liceat."

Les statistiques criminelles ont montré, que, dans la sphère des sciences morales et dans la législation en particulier, on peut aussi appliquer avec succès la méthode

¹ DEMME und KLUNGE, *Annalen der Criminalrechtspflege*, XI, p. 14.

² TAILLANDIER, *In Mém. et dissert. sur les Antiquités nationales et Etrangères publiées par la société royale des Antiquaires de France. Nouvelle série* VI. Paris 1842, p. 385.

d'observation et d'induction, dont l'emploi, jusque là circonscrit dans le cercle des sciences naturelles, a contribué si puissamment à leurs progrès et à leur autorité. Avant la publication de ces statistiques il semblait impossible de soumettre à la même méthode les faits si accidentels en apparence, de la justice répressive et de les ramener à quelque règle, à quelque loi, dont les effets dans l'avenir fussent susceptibles d'être calculés d'après les résultats du passé. Les statistiques ont prouvé, que les faits de cet ordre, observés sur une grande échelle, se reproduisant et se répartissant d'année en année par âge, par sexe, climat, saison etc. dans des proportions dont la constance autorise à supposer l'action de certaines causes générales et permanentes. Il existe en effet dans l'ordre moral des causes plus ou moins actives, qui tiennent aux circonstances extérieures dans lesquelles l'homme se trouve placé, à sa condition sociale et à l'état des idées et des moeurs. Ces causes ne se modifient que lentement, et, tant qu'elles n'ont éprouvé aucune modification, elles amènent, dans les faits pris en masse, le retour des mêmes résultats. Toute fois leur action n'est point, comme celle des lois qui président à l'ordre physique, une action nécessaire et fatale: si la liberté humaine subit ces influences extérieures, elle peut réagir à son tour, et le devoir de la société est de seconder cette réaction salutaire, en travaillant à augmenter le bien-être général et à faciliter les progrès intellectuels et moraux. La statistique peut donner à ces efforts une direction utile par les lumières qu'elle fournit sur l'état de la moralité publique et sur les causes qui nuisent à son développement. — Ainsi la statistique nous montre le système pénal en action, et nous apprend à juger de sa bonté relative par ses applications pratiques."

§ 4. *Caute tamen Statistica adhibenda.*

Si statistices tabulas inter se comparare velimus, cognita nobis sint plurima necesse est, quae cum conditione morali populi ita arcte cohaereant ut separari nequeant. Numeri tabularum sunt enim diversi, pro varia juris dicendi forma, pro accusatoria aut inquisitoria procedendi methodo, pro diverso vitae genere, quo utuntur cives, pro majori minorive incolarum numero, caet. Talia autem attendat, qui e statisticis tabulis nonnulla rite efficere velit. Ita si in Anglia, ratione habita incolarum, parvus numerus occurrit criminum, et inde de incolarum indole et moribus statuere velimus, meliores esse populi mores existimarem quam altus gentis, false ageremus, nam, ut ipse fatetur minister Peelius, saepe ibi impunita manent crimina, deficiente accusatore ¹. In America septemtrionali porro nonnullae minus cultae regiones numerum condemnatorum habent minorem quam aliae. Ne autem quis inde efficiat, eas regiones minus cultas morali sensu caeteris praestare, sed ante oculos habeat, cum servos domi maxime puniri, tum vindictam privatam ibi maxime vigere, quo fit, ut crimina non publice sed privatim saepe vindicentur ².

Exemplum, quomodo ex solo majori delinquentium numero de moribus populi non satis recte possit judicari, ante hos aliquot annos occurrit, quum essent qui dicerent ³, Franciam habere anno 1825 unum condemnatum ob crimen ex.....9,639 incolis, Hollandiam meridiionalem.....3,941. Sine

¹ ZACHARIAE, *Heidlb. Jahrb.*, 1828, p. 195.

² JULIUS, *N. Amerika's Zustände*, II, 85 sqq.

³ *Courrier des Pays-Bas*, 10 Août. 1829.

dubio autem ex hisce sequeretur, Franciam praestare Hollandiae meridionali moralitate. Hoc tamen inde sequi negat scriptor citatus, qui dicit, »Ce rapport à la population est de peu d'importance, puisque Genève également en 1825 comptait 1 condamné criminellement sur 2,684, et cependant il est avéré, que, dans le canton de Genève, il se commet moins de grands crimes, que dans les deux autres pays.»

Versus idem tempus¹ locus dabatur nonnullis disputationibus inter viros doctos septentrionalis et meridionalis regni partium. Contenderat quidam, in Hollandia meridionali occurrere 124 ad poenam criminalem damnatos, aut unum ex 3941 incolis, quum Brabantia meridionalis eorum haberet 110, licet numerus incolarum decima parte excedat. Inde efficiebatur Brabantiam meridiolalem praestare Hollandiae meridionali morali incolarum sensu. Sed res plane mutatur, si iis, qui ob crimen ad poenam criminalem damnati sint, addimus eos, qui ob crimina poena correctoria sint castigati, tunc enim in Hollandia meridionali occurrunt 872 condemnati et in Brabantia meridionali 3480. Ad hocce discrimen magnum intelligendum certe hoc facere potest, multos in Belgio ob crimina poena correctoria esse punitos, qui in Hollandia poena criminali fuerint affecti.

Ex quibus exemplis satis ni fallor patet, summam adhibeat necesse esse diligentiam, qui de unius alteriusve populi conditione morali ex tabulis statisticis disserere velit.

De modo autem, quo multi praesertim Franci et Belgae procedant in constituendis placitis quibusdam e statisticae criminalis tabulis, et vitiis quae in eo committant, die 2 m.

¹ Idem *Diarium*, 18 Août. 1829.

Maji 1839 Comes PETITI in Academia Taurinensi egregia observavit oratione peculiari ¹, ad quam remittere liceat.

Si porro magnus numerus reorum in genere occurrit, non tamen inde continuo effici potest quidquam, quod ad minus excultum moralem sensum populi cujusdam. Si enim sumtus quos jurisdictio exposcat non sunt magni, nemo impeditur quominus jura sua persequatur etiam in jure. Saepius autem numerus reorum magnus ostendit non majorem numerum criminum sed tantum persecutionem esse citiorem et validiorem ², dum in alia regione non quidem deficiant, imo magno numero adsint crimina, sed numerus reorum sit minor, quia, vel crimina latent, vel adversus nocentes saepe non instituitur persecutio.

Si tabulas de Juris Criminalis statistica inspicimus, quae in regione Badensi sunt editae anno 1832, videmus ibi unum occurrere reum ex 715 incolis, quum in Francia eodem anno ex 3953 unus tantum adest. Ne autem inde efficiamus, Badensi regioni morali sensu praestare Franciam; nam in magno Ducatu Badensi multa facta ad tribunalia deferuntur criminalia, quae in Francia non puniuntur nisi tamquam contraventiones aedilitiae. Monet

¹ VON RAUMER, *Italien*, 1840, I, 248 et 199.

² BOWRING, *Handel und Gewerbe der Schweiz*, 1837, p. 253. Ostendit etiam Diarium, cui nomen: *Amsterd. Courant* 5 Maart 1847, politicae meliori Amstelodamensi inprimis tribuendum esse, quod ibi quotannis causae correctoriae plures ad iudices deferantur

per annos 1813—1823 quovis anno 328.

" 1823—1833 " " 392.

" 1833—1843 " " 490.

" 1843—1846 " " 1022.

itaque amplius quam ter ab anno inde 1813 numerus delictorum judicatorum Amstelodami accrevit.

nos vir Cons. RICOT¹, ne ex solo numero eorum, qui a persecutione sunt liberati, placita quaedam certa nobis efformemus. Ex 1680 accusatis in regione Badensi 642 sunt absoluti, ita ut plures quam tertia pars libertati redditi sint, quum in Francia ex centum accusatis vulgo non nisi 20 aut 25 a persecutione dimittantur. Ratio autem, cur in Francia numerus reorum absolutorum major sit quam in regione Badensi, est haec: quod in Francia qui rei sunt, jam bis sunt iudicati in Camera Consilii (chambre du conseil) et Camera accusationis, (chambre d'accusation) dum contra in Magno Ducatu Badensi inter eos qui liberati sint, recensentur omnes, qui e carcere demissi sunt, et sic numero eo 642 absolutorum comprehensi sunt 172 qui liberati sunt ea tantum lege, ut, si postea nova adessent culpae testimonia, denuo carcere detineri possent; quo fit ut numerus eorum qui plane et vere absoluti sunt ad 470 sit redigendus; et ita eadem nobis se offert ratio inter numerum absolutorum et reorum universe in Regione Badensi, quae in Francia, ut nempe ex 100 reis 25 absolvantur.

In Brasilia vix ulla furta aut delicta universe contra bona admittuntur. An inde quid effici potest de populi moribus justis et aequi praecepta sancte colentis? Minime. Delicta contra bona sunt rara, quia vix ulla ibi est egestas aut paupertas. Incolae propter coeli mitem temperationem paucis indigent, et quae ad vitam necessaria sunt alimenta parva pecunia facile comparantur; sed e contrario crimina contra personas, vis et latrocinium, ibi sunt frequentiora quam alibi, propter incolarum numerum per vastas regio-

¹ *Bibliothèque Universelle de Genève*, Juillet 1835, p. 233. *Bijdr. tot Regtsgel.*, IX, 406.

nes dispersum, quo fit ut auxilium magistratus ad facinorosos coercendos vulgo deficiat ¹.

Observavit jam GRAFFEN ², quot inveniantur in Italicis de Statistica Juris Criminalis tabulis vitia, et quam alio diverso modo ibi componantur quam alibi. Delicta enim ibi omnia in tabulis notantur, qualia, quum primum facta innotuerant, nominabantur. Quum autem saepius nulla ulterior inquisitio locum habeat, quoniam nullum est certi auctoris vestigium, multi in hisce tabulis occurrunt casus, de quibus non constat, revera delictum esse commissum. Ita numerus delictorum in Italia permagnus videtur, quum in tabulis aliarum regionum ea tantum delicta recensentur, in quibus revera inquisitio in certam personam erat instituta. In his imperiis, uti in Francia, quum numerus tantum reorum recenseatur, qui ad judicem revera judicandi remissi sunt, numerus multo minor videtur, quoniam multis in causis aliquis certe accusatus fuit, sed, in praevia inquisitione jam liberatus, non tamquam reus ad judicem est traductus, quoniam persecutio contra illum non fuit admissa.

Nullibi necessitudo quae exstat inter numerum mulierum et numerum virorum condemnatorum adeo feminis favet quam in America septentrionali. In Russia septimam partem, in Anglia quintam, in Francia quartam, in Helvetia tertiam partem reorum efficiunt feminae. In Americae autem septentrionalis nonnullis regionibus mulieres vicesimam, trigesimam tertiam, quin imo quinquagesimam partem omnium condemnatorum efficiunt. Quid facilius, quam inde colligere, feminas Americae septentrionalis, quod ad conditionem moralem attinet, longe praestare Europaeis,

¹ BELAU, *Jahrb. d. Gesch.*, 1846, I, p. 459 sqq.

² *Wiener Jahrb.*, Band. 98, 1842.

hoc autem non universe verum esse, sed mulieres in America plerumque delinquere quidem, sed ob nimiam certe humanitatem poena liberari ostendit v. ampl. JULIUS ¹.

Quam incerta aliquando sint, quae ex statistica rerum criminalium efficiuntur, inde quoque apparet, quod non omnes, qui tabulas statistices easdem adhibeant, eadem ex iis efficiant. Sequentia sint exemplo: SPRINGER ² dicit, secundum Tabulas in Lombardia occurrere ex 234 incolis, et Venetiis ex 388, unum delinquentem, in Lombardia porro ex 14603 unum adesse civem qui alterum necaverit, ex 4973 qui alteri vim intulerit, furtum denique ex 357 unum committere. SCHMIDT ³ autem narrat, in Lombardia et Venetiis ex 439 unum occurrere qui furtum, ex 1056 unum qui fraudem commiserit, ex 2157 unum qui rapuerit, unum ex 1897 occurrere qui vim publice adhibuerit, ex 6130 unum adesse qui alium vulneraverit, ex 12962 unum incendiï auctorem fuisse, unum denique ex 17088 incolis alterum occidisse. Ad diversa itaque ducti sunt placita hi viri ex tabulis statisticis iisdem.

Haud raro vitiosa ratio ipsa tabulas ejusmodi statisticas conficiendi ⁴ impedit, quominus in vitae usum recte conferantur, quae caeterum ex iis duci posse videantur praecepta et monita. Sed multa sunt, quae, etiamsi summa cum cura confectae sint statisticae tabulae, tamen dubia manebunt. Numerus indicatur accusationum et reorum, sed latet numerus criminum, quae ad publicam notitiam non perve-

¹ *Nord-Amerika's Sittliche Zustände*. Leipzig 1839, II, 26 sqq.

² *Statistik des Oesterreichischen Kaiserstaates*, II, 138.

³ *Das Kaiserthum Oesterreich. Das Lombardisch Venetianische Königreich*, 74.

⁴ A. DECANOLLE, *Considérations sur la Statistique des délits* in *Bibl. Univ. de Genève*, Févr. 1830, p. 159—186.

nerunt, aut quorum auctores latuerunt ¹. Ipsa ratio tabularum illarum non sinit, accurate satis indicari veram criminis commissi naturam. Homicidium. v. c. potest esse atrocissimum, potest etiam esse valde excusandum et tamen in tabula statistica levius facinus pariter atque gravissimum numerum habebit suum. Si paucae occurrunt poenae graviores, ad quas rei sunt condemnati; an id inde repetendum, quod crimina graviora non fuerint commissa, an vero ideo, quod impunita relictas sint, tabula statistica non indicat. Ex certo reorum numero pauciores hic condemnatos reperies quam illic. Quid inde efficiendum? An hoc, quod plures ibi noxii absolvantur, an vero quod illic major sit accusandi temeritas? Latet responsum ².

Praeclara multa de hoc argumento monuit quoque ZACHARIAE, *über die Statistik der Strafgerechtigkeitspflege in Heidelb. Jahrb.* 1828, p. 577—620, quae commentatio legitur jam ad calcem secundae Editionis, Vol. III. ejus *Vierzig Bücher vom Staate*, 1835.

Recte itaque de magna incertitudine quae, ex tabulis statisticis Juris Crim. exstare possit, monuit Vir Cons. LUCAS ³: »Il ne faut donc pas partir du résultat isolé des chiffres, pour en conclure des jugemens et des jugemens absolus sur la moralité relative des divers systèmes et des divers établissemens de détention. La statistique des chiffres n'a

¹ »C'est une expression bien inexacte de dire: il y a eu cette année tant de crimes commis; on devrait dire: tant de crimes *commis jugés*, tant de criminels *condamnés*. La proportion entre les crimes connus et commis est tout à fait inconnue, elle peut varier prodigieusement d'un pays à un autre et d'une classe de délits à une autre.» *Bibl. Univ. l. c.*

² Cf. *Bijdragen tot Regtsgeel.* IV, 48.

³ *De la Réforme des Prisons*, I, 290 sq., 307.

que voix consultative dans la solution des problèmes des sciences morales et physiques; et au lieu de cette orgueilleuse prétention à dicter et reviser tout les jugemens c'est à elle à son tour à soumettre les siens au contrôle de la statistique des faits de causalité."

Quanta difficultas occurrat in primis in causis criminum ex statisticis tabulis investigandis postea suo loco videbimus.

§ 5. *Causae et opportunitates criminum universe.*

Quae causae sunt malorum in vita sociali universe, eae pleraeque ad vitia, imo ad crimina, hominem ducunt.

Sunt qui primum huc referant quaestionem, an homines ita natura mali sint, ut necessario ad delinquendum ferantur, sed ad aliorum¹ exemplum potius hanc quaestionem missam facimus. Certe debilis est atque fragilis natura humana, et longe abest, ut verum semper videamus, longe abest etiam ut, ubi verum bonum atque justum videmus, hoc semper sequamur. Vulgare illud *errare humanum est* pertinet tam ad voluntatis quam ad intelligentiae nostrae vires. Quamdiu homo vivit in hac terra perfectus esse nequit. Hoc tamen animadvertere liceat, si impietas, pravitas omniaque vitia hominis animo ita innata essent, uti aliqui censent, ex ipsa depravata natura hominis ducenda, vix est ut quaedam jure posset expectari tristium malorum, quae vitae sociali summo sunt dedecori, emendatio. »Erras," dicebat SENECA² »si existimas vitia nobiscum nasci, supervenerunt, ingesta sunt."

¹ F. A. S. A. VAN ITERSUM, *De fundamento juris puniendi atque legum poenaliuum sine, etc.* Traj. ad Rh., 1824, initio.

² SENECA, *Epistol.*, 124.

Inditi sunt homini, praeclaro sane consilio, a summo numine sensus, instinctus et appetitus, quibus ad agendum impellatur. Vocabant jam veteres ea τὰ πρῶτα τῆς φύσεως. Certe indiget homo iis sensibus et appetitibus. Celerius et efficacius saepe illi animum nostrum concitant, quam sana ratio, quae deliberat et perpendit; sensus etiam vividius nobis depingunt res, ad quas appetendas aut repudiandas ducimur ¹. Jam a prima fere inde aetate hi sensus vividiores se spectandos offerunt. Ad illud quod bonum ipsi videtur appetendum, ad malum aversandum fertur naturâ homo. Studet homo, sensibus maxime ductus, conditionem suam meliorem reddere, felicitatem appetit. Recte se haec omnia habent, si quis notiones justas acceptas tenet de via, quae ad bona quaevis et ad felicitatem ducit; sed tristitia omnia accidunt, si homo falsis regi se patitur de via ad felicitatem notionibus; sic saepe injusta remedia adhibent homines ad impetrandum illud, quod expetunt, bonum, vel de ipsius boni aut mali natura errant, pro bono habentes, quod vere malum est dicendum. Inde vitia, flagitia, crimina innumera ².

Sed praeter hominis naturam sensualem est etiam rationalis hominis natura attendenda. Ratio scilicet homini data est, ut instinctus et affectus regat et moderetur. Sensuum et rationis auctoritas pariter valeat. Sensus recte adhibiti ad quaevis egregia ducunt.

¹ V. Cl. H. C. CRAS, *Over het bestaan, het gewigt en de noodzakelijkheid van onze invencidige gevoelens*, in *Nagel. Verhand.*, II, 101 sqq.

² »La criminalité a sa source première, mais non entière, dans nos besoins et nos passions, ce qui veut dire, que l'homme ne deviendrait ni criminel ni vertueux, s'il n'avait ni besoins, ni passions.» CH. LUCAS, *de la Réforme des prisons*, II, 8. Neque contraria iis sunt, licet primum videri possunt, quae ibi sequuntur, p. 10: »L'homme ne naît donc ni criminel ni vertueux par ses be-

Quid autem si sensus et appetitus ratione non reguntur? Omnia tunc sursim deorsimque ferantur necesse est. Qui sensus bene moderati ad eximia quaevis ducunt, ei sibi relictis, ratione non temperati, gravissimorum malorum et vitiorum existunt causae¹.

Fuerunt qui haec videntes omnem sensuum auctoritatem rejicerent; ita KANTIUS; sed illi ita repudiabant, quod re vera ad naturam humanam pertinet, quo sublato, homo quasi ex homine tolleretur². Multa egregia et laudabilia facta non committerentur, nisi praeclara affectuum vis eo duceret. Frigidus saepe et iners homo maneret, neque ad agendum accederet, ubi tamen agere ejus erat officium. Quam eximia operatur saepe in homine vividus ille et inditus sensus benevolentiae erga alios; sed rationis et religionis praeceptis atque monitis regatur oportet illa sensuum et affectuum auctoritas³.

Et ita quidem pravae cupiditates, appetitus, quos rationis usus non temperat, frequentissimae omnium sunt causae criminum. In rationum expositione, qua statistices criminalis tabulas anni 1838 illustravit in Francia justitiae administrator BARTHE, ita recte omnia haec leguntur: »La haine,

soins et par ses passions; mais il devient l'un ou l'autre, et parfois même l'un et l'autre, car ce n'est pas une mécanique organisée pour le bien ou le mal."

¹ »Chaque penchant livré à lui même envahirait l'homme, comme chaque plante abandonnée à force de reproduction couvrirait l'univers. La loi de l'équilibre des penchants, c'est la loi de la moralité humaine." CH. LUCAS, I. c. p. 8.

² DE GÉRANDO, *Du perfectionnement moral*. I, p. 70. »Les moralistes ont vu le désordre. Ils se sont trop hâtés d'en conclure un arrêt de proscription contre leurs auteurs; au lieu de régler, ils ont voulu détruire."

³ VAN HAMELSVELD, *Bijdr. tot het Lijfstraffelijk Regt*. Amsterdam, 1817, p. 19 sqq.

la vengeance, la cupidité, sont les sentimens, qui inspirent le plus grand nombre des crimes; les dissensions domestiques, les discussions d'intérêt, l'amour contrarié, la jalousie etc. sont les causes déterminantes de beaucoup d'attentats." In homine ipso, in iis quae hominem circumdant, causas criminum deprehendere, plerumque non est difficile¹. Summus noster GROTIUS de causa, quae ad delictum impulit, dicturus², observat: »Vix quisquam gratis malus est, aut, si quem malitia propter se ipsam delectat, is ultra modum humanum processit. Pars maxima ad peccandum ducuntur affectibus," eo referens etiam dictum Apostoli JACOB in Ep. I, vs. 15, ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν. Quis ita dubitabit, quin recte pronunciaverit vir doctus Germaniae: »radices criminum esse appetitus sensuum, qui propterea regendi et cum intellectu et morali lege in concordiam redigendi sunt³." Quod saepe affectus et appetitus hominem ad crimen ducunt, explicat etiam, quomodo fiat, ut ea hominis aetate, qua vividissimi illi solent esse, etiam maximo numero delinquentes existant. Ita deprehensum est maximum criminum numerum committi in juvenili aetate, quae est intra annos aetatis 20 et 30⁴.

¹ VAN HAMELSVELD, I. I. p. 9. »De voorname en eerst aanleidende oorzaken van misdoen, zijn in den mensch zelve en in de omstandigheden welke hem omringen, en waarin hij zich geplaatst heeft, te zoeken, en voor het grootste gedeelte zal men daarin derzelyer oorsprong vinden," qui porro dicit de appetitibus et instinctibus, frequentissimis criminum causis, p. 13.

² H. GROTIUS, *De J. B. ac Pacis*, II, 20, § 29.

³ »Die Wurzeln der Verbrechen sind die sinnlichen Triebe; diese müssten daher berichtigt, mit der Intelligenz und der Moral im Gleichgewicht gebracht werden." STRUVE, in *Zeitschrift für Deutsches Strafverfahren*, 1842, III, 172, sqq.

⁴ QUETELET, *Observations sur le penchant au crime aux différens âges*.

Alia accedunt, ex vitiosa conditione vel ipsius vitae socialis, vel singulorum hominum, qui iis vitae bene degendae praesidiis, quae civitas civibus offert, uti vel non potuerunt, vel ex culpa sua neglexerunt. Defectus cultus et humanitatis, mala educatio, desidia et torpor, qui aliquando in homine deprehenditur, ad gravia in civitate mala solent ducere.

Huc pertinent, quae in variis scriptis occurrunt, monita: »Ignorance, intempérance, loterie, principales causes des crimes¹»; sic et patrii scriptores pronunciant: »Ledigheid en ondeugd zijn de ware oorzaken van misdaden²». Franciscus scriptor, qui de toto hoc argumento eximie meruit, CH. LUCAS, ad duos maxime fontes attendi oportere censet, ignorantiam et paupertatem³, quam observationem porro tabulis statisticis probare conatur.

Ante aliquot annos a⁰. 1821 instituta est societas, quae dicitur Ethicae Christianae, auctore DE LA ROCHEFOUCAULD LIANCOURT, quae contendit: »la plupart des erreurs, et des vices, qui retardent le règne de la vérité, de la justice, et de la paix parmi les hommes, naissent de l'ignorance ou de l'oubli des préceptes de la religion chrétienne⁴».

Caeterum aliae causae aliis sunt graviore, uti singularum

Bruxelles 1831. Cf. ejusdem *Recherches statist. sur le royaume des Pays-Bas*, 1829, p. 39, 42.

¹ *Documents officiels sur le Pénitencier de Cherry-Hill*. Paris 1844, p. 27. Cf. 52, 58—101.

² LUTTENBERG, *Over het Armwezen in ons Vaderland*, bl. 35.

³ CH. LUCAS, *du Système Pénal*. Paris 1827, Introd., p. XXI, »toute notre attention doit se concentrer sur les effets de l'ignorance et de la misère, qui nous ont apparus comme les deux causes premières et générales de la criminalité dans tous les temps et dans tous les pays.»

⁴ *Revue des Deux Mondes*, 30 Octobre 1846, p. 212.

illarum contemplatio accuratior nos poterit docere. Quaerit scriptor patrius valde laudandus ¹: »Zouden er wel twee andere ondeugden te noemen zijn, die meer mensen in het verderf storten, maar ook die meer mensen op den weg des misdrijs voeren, dan de ontucht en de dronkenschap.» Episcopus Trevirensis, in Epistola pastorali de juvenum delictis coërcendis, tamquam eorum causas notat, pigritiam, vividam phantasiam, intemperantiam, prava exempla, mala consilia, etc ². Nuperrime ³ in coetu delegatorum Bruxellis quum ageretur de sumtibus in justitiae administrationem erogandis, animadvertit CASTIAU, criminum numeri augescentis causam praecipuam quaeri oportere in paupertate, ignorantia, et morum corruptela populi.

Versus finem praecedentis saeculi varietatem causarum, quae ad crimina ducere solent, jam in Francia animadvertibat PASTORET ⁴, cujus verba, ex versione Germanica Erhardi, sic referre licet: »Liebe, Hass, Rache, Betrug, Geiz, Bedürfniss, Neid, Stolz, Liebe und Unabhängigkeit, Aberglaube, Fanatismus, Unwissenheit, Leichtsin, natürliche Unvorsichtigkeit, diess alles kann Veranlassung zum Verbrechen werden.» Conditio, in qua versamur in vita sociali, haud dubie ita multum quoque valet eo, ut ad delinquendum vel magis proni sint homines vel facilius longe a crimine committendo se abstineant. Qui habent, unde laute et commode vivant, qui per rectam educationem, ad bonos mores, ad vitae cultum et humanitatem insituti sunt, facile iis est, non delinquere, non incidere in legem poe-

¹ VAN ROYEN, *Wetgeving en Armoede*. Zwolle 1846, p. 13.

² *De Menschenvriend*, 1831, fasc. p. 143 sq.

³ Die 23^{mo} m. Januarii 1847.

⁴ *Des lois Criminelles*, III, c. 6, initio. Versionis Germanicae, II, p. 156.

nalem, sed longe difficilius profecto est negotium iis, qui vix habent unde vivant, neque in educatione recte instituta praesidium habent, quo a crimine committendo se abstineant, licet plurima quoque eos eo alliciant ¹.

Saeculo autem hoc nostro complures exstiterunt, cum in patria nostra, tum in aliis Europae regionibus scriptores, qui causas criminum praecipuas certe referre sunt conati.

In Universitate Groningana versus initium hujus saeculi scripta est, auctore A. A. GANDERHEYDEN, Dissertatio, multis dotibus commendabilis, ubi de criminum causis quoque disseritur ². Huc referuntur ibi: morum corruptela, impia religionis et summi numinis, divinarumque legum contemptus et ignorantia, superstitio, populi circa leges civitatis ignorantia, ignorantia populi circa rationes obligantes legibus civitatis obtemperandi, civibus quibusdam adempta aut praerepta propriis sibi suisque laboribus prospiciendi facultas.

Postea Dissertationi, qua in fundamentum juris puniendi inquiritur ³, praemissa est disquisitio de natura humana, de vitiorum causis, de causis depravationis humanae, uti et de remediis, quae vitiis hominum moralibus possint opponi. Ex natura humana efficiendum putabat scriptor,

¹ CH. LUCAS, *Réf. des Prisons*, II, 43 sqq.: de la position sociale, considérée comme cause de criminalité. Universe ea de re disputans, merito observat, p. 49: »De là les crimes contre les propriétés se concentrent dans les classes inférieures, les plus éloignées à la fois, et de l'aisance qui écarte les sollicitations du besoin, et de l'éducation qui en modère les satisfactions et en prévient les abus.»

² *Specimen jurid. inaug. de poena Ergastuli et de poenis universe*. Gron. 1806, p. 15—48.

³ F. A. S. A. VAN IJTERSEM, *Specimen jurid. inaug. de fundamento juris puniendi, atque legum poenaliū sine et de quibusdam poenis criminalibus, quibus hodie utimur*. Traj. ad Rh. 1824.

quatenus vitia humana ipsorum hominum tribuenda videantur naturae, et quatenus derivanda potius sint ex aliis, imprimis externis causis. Ita poenam considerandam judicabat tamquam remedium aegrotantis animi, quo curari vel praeveniri debent morbi hominum morales, etc.

Sunt, qui causarum hujusmodi varia genera conantur distinguere, vel et causas et opportunitates discernere, quum quod ad crimen ducit, vel necessario eo ducat, vel nonnisi certo modo aut tempore, quo crimini committendo datur occasio. Sic QUETELET in epistolis, scriptis ad ducem Saxoniae Coburgensis, tertia parte agit de investigatione causarum earumque tres classes distinguit, uti vel certae sunt et perpetuae, vel casu et forte existunt vel etiam tempore mutantur ¹.

Ita quoque inter causas perpetuas et universales et temporarias atque particulares alii distinguunt ². Sed ab ejusmodi distinctione me abstinere tutius visum est. Vix enim recte potest discerni semper, quid ex variis, quae ad crimen videntur duxisse, primarium, tamquam causa, quid accessorium, tamquam opportunitas notandum sit.

Egregie prae aliis in hoc argumento tractando versati sunt duo maxime Francici scriptores, qui scriptis de carcerum et ergastulorum ordinatione inclaruerunt, MOREAU

¹ QUETELET, *Lettres à S. A. R. le Duc régnant de Saxe Cobourg-Gotha, sur la théorie des probabilités, appliquée aux sciences morales et politiques.* Brux. 1846, p. 257 sqq. *Causes constantes, accidentelles, variables*, vid. *Epistola*, 23, 25, 27 et 28. Ita quoque CH. LUGAS, *du système pénal etc.* Paris, 1827, *Introd.* p. xx: «Nous ne pouvons ici reprendre l'examen de tous les motifs accidentels et secondaires, qui provoquent la liberté à faire le mal.»

² STRASS, *Ueber die Ursachen der Verbrechen.* Berl. 1840, »besondere und vorübergehende, allgemeine und dauernde Ursachen.»

CHRISTOPHE et CHARLES LUCAS; ille, quum de emendatione carcerum in Francia disputaret, 1838, praemisit disquisitionem de causis criminum¹, hic, idem argumentum tractans eandem quoque disquisitionem studiose instituit², licet magis proprie hic spectet causas, quae in carcere impediunt, quominus damnatorum emendatio recte procedat et hi a delinquendo arceantur, quam quidem causas, quae universe apud omnes ad delinquendum possint incitare.

Digna quoque sunt quae huc referantur, conclusionis ergo, praeclara verba sequentia³: »La source! c'est l'irréligion, c'est l'ignorance, c'est l'égoïsme, c'est la contagion de l'exemple, ce sont les vices de nos institutions, c'est le renversement sens dessus dessous de l'ordre ascensionnel de l'échelle pénale, c'est le préjugé fatal, qui pousse les libérés à redevenir criminels, c'est le bouleversement de toutes les idées de subordination et de devoir, c'est le péle-mêle de toutes les classes sociales, c'est la substitution partout de l'instruction à l'éducation, c'est l'immoralité, c'est la prostitution, c'est la misère. Ce sont en un mot les faits de causalité des crimes et des récidives.»

§ 6. Ignorantia.

Defectum justae cognitionis ad multa mala ducere recte observavit scriptor Francicus: »L'homme n'est méchant,

¹ MORREAU CHRISTOPHE, *De la Réforme des Prisons en France etc.* Paris 1838, p. 55 sqq., de la réforme des prisons dans les rapports avec les faits de causalité des crimes et des récidives.

² CH. LUCAS, *De la Réforme des Prisons et de la Théorie de l'Emprisonnement.* Paris 1838, II, pag. 5 sqq., ubi agit: des causes de la criminalité et de la nature des obstacles qu'elles opposent à l'éducation pénitentiaire.

³ MORREAU CHRISTOPHE, *Revue Pénitentiaire*, I, p. 10, Introd.

que parcequ'il ne sent pas le bonheur, ou ignore l'intérêt qu'il y'a à être bon ¹." Ut officia sua pernoscat homo, eget institutione et educatione. Non immerito itaque nostri aevi homines eo incumbunt, ut scholis erigendis bonis, puerisque in iis docendis, ignorantiam, *plurimum etiam malorum causam quam perversitatem* ², vel etiam *omnium malorum matrem* ³, tollant. Egestatem et ignorantiam praecipuos criminum fontes quoque censet de LA BRUYÈRE ⁴, qui paupertatem, matrem, defectum ingenii, patrem criminum vocat; similiter CAR. LUCAS ⁵; qui sic in eo consentiunt, ignorantiam omnino multum efficere ut delinquentes ad crimina committenda adducantur; sed plures sententias afferre eorum qui idem contendunt, necesse mihi non videtur; potius autem de momento, quod habeat institutio in criminum numerum, quaedam in medium afferemus.

Universe crimina longe pauciora committi in iis regionibus, ubi institutioni publicae maxime cautum est, recte ostendit SCHOELCHER ⁶. Multa sunt saepe impedimenta quae obstant, quominus publica puerorum institutio effectus habeat speratos. Saepe fit ut, licet scholae adsint, quas frequentare possit juvenus, tamen eas non adeat; nam multi sunt parentes, qui institutionis liberos suos participes esse

¹ MOREAU CHRISTOPHE, *de la Réforme des Prisons*, p. 76.

² »Der Unverstand stiftet mehr Schaden als die Bosheit.« DEMME und KLUNGE, *Annalen der Criminalrechtspflege*, XVI, p. 143.

³ FOURIER, In *Bibl. Univ. de Genève*, Nov. 1842, p. 18. »Le mal c'est l'ignorance, avec la science le mal disparaît.«

⁴ *Caractères*, p. 281, »si la pauvreté est la mère des crimes, le défaut d'esprit en est le père.«

⁵ CH. LUCAS, *Gaz. d. Trib.*, N^o. 546 et 548, egestatem et ignorantium causas criminum citat praecipuas.

⁶ *Journ. des Economistes*, Vol. VIII, p. 41 sqq.

velint, sed ab eo se abstinere coacti sunt, aut propter paupertatem, quum neque habeant unde iis vestimenta praebent, neque unde minervalia solvant, aut propter utilitatem quam percipere possunt, si liberis utuntur ad operas praestandas. Alii sunt etiam, qui liberos in scholas missos per brevissimum tempus tantum ibi degere sinunt, computantes, se majora commoda ab iis percepturos esse, si mercenariorum operas praestent. Dolendum universe est, minervalia licet parva solvenda esse scholarum magistris, nam saepe hi iis ita indigent, ut sine iis vivere nequeant, et saepe etiam habendi cupidine ducti nemini minerval hocce solvendum remittunt, licet proprie eo non egeant, et ita saepe, quocumque modo possint, parentes ad hocce tributum solvendum excitant. Ad id exigendum saepe iudicis auxilium invocatur, unde saepius fit, ut parentes et scholarum magistri in statu quodam hostili vivant, et ita illi liberos non amplius in scholas mittant. Quid porro ille etiam magister efficiet, qui hodie liberos ad humanitatem benevolentiamque erga eos parentes excitet, quibuscum heri necessitate adductus in iudicio convenerat ob debitum honorarium; aut quomodo diligenter et studiose puerum docebit, qui negligentia aut paupertate parentum per menses nihil ei solvit, quum magister ipse anxius sit, unde vicium sibi suisque quaerat.

Certe habemus quod laetemur, institutionem publicam in patria nostra satis recte constitutam esse, et scholae, quae institutae sunt tam pauperum, quae dicuntur (Amstelodami anno 1797 conditae) quam aliae, multum valuerunt ad homines erudiendos. Institutio, qua in scholis pauperum (Armenscholen) fruuntur pueri, multis omnino se commendat. Non solum enim ibi peritia legendi, scribendi, primae notiones arithmeticae, caet. docentur; sed etiam

praecepta religiosa universe ibi discit juvenus. Quae autem Amstelodami hujus generis exstant scholae, non in unaquaque patriae adsunt regione aut urbe, sed tamen, ubicumque fere scholas publicas adieris, opportunitas ibi datur se excolendi; et multum eas scholas et institutionem etiam universe apud nos eo valere ut criminum delictorumque numerus minor quam alibi sit, inter alios nos docet Vir. Ampl. v. COUSIN¹. In patria magistri scholarum, si non magno, tamen tali fruuntur honorario, quale ad victum sufficiat; omnem itaque operam impendere eo possunt, ut juventutem doceant. Et sane, si qua in re, institutione publica, patria aliis Europae regionibus praestat.

Si nunc autem intuemur aliud Europae regnum, et quidem Franciam, statim magna se nobis offert differentia. Uti enim in patria nostra institutio publica multa egregia habet, ita in Francia multa eadem in re desiderantur. De vitiis autem institutionis publicae in Francia nuperrime scripsit LORRAIN, *Tableau de l'instruction primaire en France, d'après des documens authentiques*, caet. Enumerat ille plurima vitia, quae omnia huc referre longius foret; quaedam tamen ex praecipuis hic in medium afferam.

Universe queritur scriptor, de minori etiam quam modica pecuniae summa, quae competit scholarum magistris, deque parva aestimatione, qua sunt insignes, p. 212 sqq. Variis muneribus, scholarum magistro indignis, fungatur necesse est, ut victum sibi quaerat; saepe etiam fit, ut aedificia scholis habendis destinata tam male sese habeant, ut juvenus, quae eas frequentat morbis laboret, et ita scholas deserere debeat, ut sanitatem recuperet.

Sunt etiam in Francia, quibus minime persuasum est de

¹ *De l'instruction publique en Hollande*. Paris 1837, p. 247.

necessitate prospiciendi institutioni publicae; sunt enim ibi multi, teste SUE¹ qui dicant: quid juventuti opus est institutione aut doctrina? Opus est nobis, qui vineas colunt, non lectoribus. Alii autem, teste LORRAIN², contendunt, inutile esse docere legere rusticos, qui manu victum suum quaerere debeant. Alii denuo dicunt, rusticum, qui certum quemdam cognitionis gradum egressus est, inutilem evadere hominem³. Sed quod felix faustumque est omnino, non ea est persuasio Principibus Viris, qui reipublicae in Francia praesunt et institutioni publicae promovendae quam maxime operam dant.

Conditio, in qua institutio publica versatur in Anglia, non est optima; anno 1840 in multis ejusdem regni ducatibus ex 100 viris, qui matrimonium contraherent, 60 tantum scribere poterant, ex eodem numero foeminae tantum 50. In toto regno anno 1839 inibantur matrimonia 121,083, quorum 40,517 mariti et 58,989 uxores, quae scribere non didicerant⁴. Londini, secundum *the Central society of Education*, anno 1836 circiter 150,000 pueri omni institutione caruerunt⁵. Universe dimidia pars juventutis, quae ea aetate est, ut scholas adire deberet, eas non adit⁶. In urbibus etiam ubi magnae officinae exstant, ex 100 operariis 49 legere nesciunt et ex eodem numero 67 ne nomen quidem scribere possunt. In foeminis autem ratio etiam tristior occurrit, nam ex 100,57 legere et 88 nomen scribere non didicerunt⁷.

Vinculum arctum inter crimina et institutionem ita spe-

¹ SUE, *Martin, ou l'Enfant trouvé*. Edit. Amstel, lib. IV, c. XII, p. 162.

² Op. cit. p. 185.

³ Ibidem, p. 186.

⁴ *Letterbode*, 1842, bl. 256.

⁵ *Letterbode*, 1842, p. 306.

⁶ *Buitenl. Letteroef.*, 1835, p. 368.

⁷ *Handelsblad*, Nov. 1837, N^o. 1900.

cimine peculiari dignum visum est Academiae Scientiarum Moralium et Politicarum, ut in concione sua, habita die 30 Maji 1846, inter alias hanc quaestionem ad disceptationem proponere decreverit. »Démontrer, comment les progrès de la Justice Criminelle dans la poursuite et la punition des attentats contre les personnes et les propriétés, suivent et marquent les âges de la civilisation depuis l'état sauvage jusqu'à l'état des peuples les mieux policés.»

Et sine dubio: »Un des documents les plus intéressants, que présente le compte général de la justice criminelle, est celui, qui fait connaître le degré d'instruction, qu'avaient acquis les accusés. Il sert à montrer l'influence que peut avoir sur les penchants de l'homme la culture de son intelligence et appelle les méditations sur la part, que l'instruction doit prendre dans la réforme des prisons².» Non immerito itaque jam anno 1827, die 3 m. Martis, regius tunc temporis justitiae minister, PORTALIS, idem jam observaverat, quum literis suis, ad omnes sui ordinis magistratus transmissis, in quatuor classes distingui vellet accusatos, quarum prima contineret eos, qui plane neque scribere neque legere possint; secunda illos complecteretur, qui didicerint et legere et scribere aut alterutrum sed modo minus perfecto, ut nonnisi paullulum differant a prima classe; tertiae accenserentur omnes qui legere et scribere facile possint, ita ut hae cognitiones commodum iis praebeant; quarta denique omnes ii continerentur qui institutione meliori uti essent.

In tabulis statisticis quae quotannis regi Franciae dedicantur a justitiae ministro huius rei habita est ratio, ita ut

² J. B. TESTE, *Ministre de la Justice*, in *Rapport au Roi de l'administration de la Justice Criminelle pendant l'année 1837*.

Numero fuerit accusatorum	1828.	1829.	1830.	1831.	1832.	1833.	1834.	1835.	1836.	1837.
scribere neque legere docti	6,922	7,369	6,962	7,604	8,237	7,315	6,952	7,223	7,232	8,094.
scribere aut legere docti sed minus perfecte	4,166	4,523	4,319	4,600	4,749	4,273	4,080	4,079	4,239	4,601.
recte scribere et legere docti	1,858	1,947	1,826	2,047	2,456	2,082	2,061	2,253	2,073	2,530.
educatione meliori usi.	780	729	688	767	775	696	608	584	665	709.
	118	170	129	190	257	264	203	307	255	254.
Anno	1838.	1839.	1840.	1841.	1842.	1843.	1844.			
Accusati	8,014	7,858	8,226	7,462	6,953	7,226	7,195.			
scribere neque legere docti	4,469	3,397	4,627	4,052	3,636	3,719	3,761.			
scribere aut legere docti sed minus perfecte	2,567	2,549	2,837	2,442	2,283	2,316	2,299.			
recte scribere et legere docti	702	705	605	737	805	955	885.			
Educatione meliori usi.	276	207	157	231	239	236	250.			

Erant itaque in quibusvis centum accusatis 57 plane inculti, 30,2 qui aliquid didicerant, 09,7 recte qui legere et scribere aut alterutrum didicerant, et 03,1 qui magis erant exculti.

Non autem eadem ratione, qua numerus eorum, qui scholas adeant, crescit, etiam numerum delinquentium minoris aetatis decrescere, ex sequentibus apparet; anno enim 1820 1,070,500, 1832 1,200,725, 1833 1,684,828, 1834 1,935,000, 1840 2,881,679 scholas adibant, et, si a^o. 1826 crimina commiserant 124 pueri sexto decimo aetatis anno minores, et 1,101, eo anno maiores, at vigesimo primo minores, numerus prior, a^o. 1834, erat quidem 107, sed alter ad 1,239 erat auctus; imo vero a^o. 1840, licet prior numerus ad 86 esset diminutus, alter ad 1,380 erat auctus. Maior cura, quam parentes habuerint liberorum minoris aetatis, idcirco magis videtur valuisse ad criminum numerum minuendum quam magis provecta juvenum in scholis institutio.

Mira videri possent verba V. Cons. GUERRY, *Essai sur la statistique morale de France*: »les départemens, où le savoir est le moins commun, ne sont pas ceux, où il se commet le plus de crimes." Cf. VILLERMÉ, *Etat Physique et moral des Ouvriers*¹ et QUETELET² qui, collatis tabulis statisticis accusationum in Francia, inde efficit, reos liberalium artium cultu viventes eos esse, qui majori numero crimina in personas commiserint, quam a minus cultis 87 ex centum criminibus contra bona perfecta sint; sed, si porro magis cultos homines ditiores esse statuere nobis licet, quam

¹ II, 153 sq.

² *De l'Influence des lumières, des professions et du climat sur le penchant des crimes*, c. 3, libri III.

minus ad furta aliasve fraudulentos contrectationes sic alligantur, videmus, institutionem non semper sufficere ad sibi imperandum, sensumque odii et ultionis temperandum. Addit idem scriptor, pauperes Franciae regiones, quae etiam maxime incultae sunt, morali sensu praestare ditioribus magisque excultis.

Quod autem crimina non decrescant, aucta institutionis publicae cura, ex modo quo institutio locum habet, deducendum est, minime vero ex ipsa institutione. Fere omne illud, quod in scholis in Francia docetur, dicitur tantum respicere, quod corpori, memoriae aut ingenio servire possit, at minima eorum haberi ratio, quae juventutem doceant, quomodo boni cives justique homines evadant. Fateri debemus, sic eos aliquid didicisse, sed tamen exinde non sequitur, eos sic feliciores esse evasuros aut saltem virtutem culturos. Notatu dignissima sunt haec viri celeberr. MOREAU CHRISTOPHE verba ¹: »croyez vous, quand l'age des passions, le besoin d'un état, les tourments de l'ambition, les illusions de la gloire, etc. seront venus pour ces jeunes hommes qui n'ont appris, dans leur enfance, que les éléments pour aussi dire mécaniques de l'instruction primaire, ou qui n'ont emprunté à l'instruction secondaire que le reflet de la lumière blaffarde et vacillante d'un demi-savoir, croyez vous, qu'ils seront suffisamment éclairés pour se garantir des attaques du vice, et des pièges des mauvais désirs?»

Institutio autem, fateor, malorum etiam causa esse potest: »l'instruction fait naître une foule de besoins nouveaux, qui, s'ils ne sont pas satisfaits, poussent au crime ceux qui les éprouvent. Elle multiplie les rapports sociaux, elle

¹ De la Réforme des Prisons en France, p. 73.

est l'âme du commerce et de l'industrie; elle crée ainsi entre les individus mille occasions de fraude et de mauvaise foi, qui n'existent point au sein d'une population ignorante et grossière. Il est donc dans sa nature d'augmenter plutôt que de diminuer le nombre des crimes ¹."

Institutionem ita solam ex se ipsa magnum afferre commodum qui putent, maxime errare videntur. Et non omnes qui institutione usi sint meliores fieri recte ostenditur in *Revue Britannique*, Mars 1835, p. 121: »Instruire, sans améliorer, s'est brûler sans éclairer. Augmenter le nombre des notions populaires, sans en diriger l'emploi, c'est enivrer une troupe sauvage prête à mettre le feu à l'édifice et à périr sous les ruines." Similia etiam dicit ROYER COLLARD: »Les moeurs naissent de l'éducation, l'éducation seule les crée et les perpétue, parceque seule elle enseigne véritablement le devoir en le réduisant en pratique; sans l'éducation, l'instruction n'est qu'un instrument de ruine."

Instituuntur vulgo homines, ut legant, dicant, etc. vix unquam discunt recte *agere*; verborum ita scientia maxime excolitur: »Elle a ses degrés, son grand maître, son ministre: la science des choses n'a rien de tout cela, et par choses j'entends ici non celles, qui n'impriment dans le cerveau que des lettres mortes, mais celles qui laissent au fond du coeur l'impression toujours vivante de principes utiles toujours en action ²." Recte *agere*, ecce vera scientia! Omnis scientia sine eo est ignorantia periculosa: illa tantum hominem a coeca vi affectuum et appetituum liberat.

¹ DE BEAUMONT et DE TOCQUEVILLE, *Du système pénitentiaire*, P. I, c. 8, Sect. 2,

² MOREAU CHRISTOPHE, *op. cit.* p. 76.

Vidimus modo, in regionibus Franciae, ubi institutioni publicae parum tribuitur, homines fere non delinquere, et contra alibi, ubi incolae magis sint exculi, plurima adesse crimina, et quidem contra bona, crimina falsi, fraudis, caet¹. Non autem Francia sola exempla praebet, cultum majorem intelligentiae ad crimina ducere. De America septentrionali idem contendit Vir. Ampl. JULIUS². In Anglia etiam magis magisque criminum numerum augeri, ita ut incolarum numerus, ab anno inde 1812—1832, duplicatus, numerum ter majorem criminum commiserit; »sans qu'on puisse apercevoir d'autre cause de l'accroissement des crimes que l'accroissement d'une instruction vide, équivoque, nulle au fait, mais sombre inspiratrice d'efforts nécessaires pour trouver dans le crime l'auxiliaire ou le suppléant du travail³."

Scholae autem multum valere possunt ad criminum numerum minuendum, dummodo recte institutae sint, neque solum in iis discant homines legere, scribere, caet. sed praeceptis moralibus et religiosis quoque recte imbuantur. Sic enim perjurium minus metuendum, si, de jurjurandi sanctitate certum sibi habentes, homines vera loquentur, et mala illa multa, quae, non nisi ope cognitionis ex institutione perceptae, committere possunt, uti falsi, fraudis, caet. magis magisque numero decrescent. Homines etiam multi, licet non prorsus mali, tamen remediis saepe utuntur ad victum sibi comparandum, quibus non uterentur, si magis veri boni et justii notionibus imbuti essent.

¹ Ita in Austriae inferiori parte cultu insigni unus occurrit delinquens ex 609, in Galicia rudi adhuc atque inculta, unus ex 1,382. *Revue Britann. Mars, 1834, p. 168.*

² *Nord-Amerika's Zustände, II, 75 sq.*

³ VILLENEUVE, *De l'agonie de la France.* Paris, 1831, I, p. 252.

Sic v. q. non, importandis clam mercibus, in fraudem legis de vectigalibus latae, victum sibi quaererent.

Sed de institutione juventutis, quatenus ad crimina arcenda valet aut non valet, dicta concludamus verbis hisce scriptoris Francisci, qui optime videtur rem declaravisse: »L'instruction n'est pas partout et toujours ce qu'elle doit être; elle ne prépare pas l'homme à la destination qu'il doit remplir plus tard avec assez de soin sous le rapport moral, religieux et social: elle ne donne pas assez de rectitude à ses principes moraux, assez de profondeur à ses convictions religieuses, assez de fermeté et d'énergie à la direction morale de sa volonté." Hanc sententiam ita professus FAYETUS¹, etiam mala et vitia quae bonae institutioni obstant, severe vindicanda sic contendit: »ne sommes nous pas en droit de réclamer des mesures énergiques de répression, non pas seulement contre les malheureux qui, séduits par les sophismes du libertinage, de l'impiété et de l'esprit de révolte sont tombés dans le crime, mais encore et surtout contre les auteurs et les propagateurs de ces sophismes, qui emploient le talent que la Providence leur a départi, et la liberté que la société leur laisse, à détruire dans l'intelligence du jeune homme les principes moraux et religieux que l'éducation lui avait imprimée? Ainsi en deux mots: fortifier l'enseignement sous le rapport religieux, moral et même politique et social dans nos écoles à tous les degrés, et réprimer sévèrement toute production de la presse, quelle qu'en soit la forme, qui tend à détruire ce que l'enseignement a fondé." »

¹ Séances et Travaux de l'Acad. des sc. mor. et polit., 1843, IV, p. 285 sq.

§ 7. *Morum Corruptela.*

In educatione liberorum saepe veram morum corruptelae et criminum causam quaerendam esse animadversum fuit¹.

Verissimum scilicet est, quod vulgo monetur: »quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu²,» et ita, quas in pueritia jam a parentibus, a praeceptoribus, ab aequalibus accepit notiones, diu servat juvenis. »Persuadeas,» ita auctor Dissertationis mox laudatae, »infanti a teneris inde, veram felicitatem unice sitam esse in divitiis, in auro et argento colligendis; quum haec ei desunt, posteriori aetate plerumque omnes intendet vires ad hasce consequendas divitias, et, si honesto modo hoc fieri nequit, interdum ingredietur vias improbas, ut ad propositum perveniat, nisi rebus et factis et exemplis aliorum didicerit, has vias revera ad sui ipsius damnum ducere, saltem divitiarum collectionem non ad suae felicitatis cupiditati satisfaciendum vim habere. Decipe infantem ut ad scopum quemdam pervenias, mox et infans itidem alium decipiet, ut commodum aliquod acquirat.»

Sic uti virtutes, ita quoque vitia a parentibus cum liberis solent communicari. Falsae opiniones de rebus, quae veram felicitatem specie prae se ferunt, attamen a felicitate illa longe recedunt, magnam partem oriuntur ex neglecta, vel omnino ex prava educatione, ex malis exemplis sive unius patris, sive millenorum hominum, ex quibus exemplis juvenes ad suam ipsorum ulteriorem educationem proficere amant. Videant et teneant constanter parentes, quae est ad virtutem bonae educationis efficacia, eandem esse malae ad vitium et crimen.

¹ V. ITERSUM, *Diss. laud.* p. 13.

² HORATIUS, *Epist.* 2, lib. I, vs. 69.

Connubia autem nimis facile inter homines rudiores inita, juvenili valde aetate, non facile ducunt ad justam disciplinam liberorum. Quí enim parentes id dabunt, cujus ipsi egent? Aut quí juvenis imberbis rudis et inexpers agricola tamquam paterfamilias, aut quae mater pueritiae annos vix egressa, liberos ad bonum excitabunt, et ostendent, quomodo vivendum sit? Ita sane parentes saepe adire coacti erunt magistratus a quibus auxilium petant contra liberos suos. Multi delinquentes sine dubio facti fuissent boni cives, si bona educatione usi fuissent ¹. A tenera inde pueritia parentes caveant liberis suis, et puniendo facto primo malo eique non ignoscendo melius certe agent, quam venia nimia, qua fortasse juvenus denuo ad pravos mores et ad delinquendum adducitur, quum viderit, salvum se inde exire. Adsunt exempla furum maximorum, qui, furendi studio suo indulgentes, quum a parentibus initio non graviter essent puniti, ad ultimum supplicium sunt damnati ². Saepe parentes ipsi, non videntes quam male ita agant, juventutem docent alios fallere. Quis autem non videt, ita juventutem doceri, mendaciis circumvenire alios, non male esse factum, quo certe ad alios fallendos saepe accedent.

De vitiis autem, quibus educatio liberorum in inferiori civium classe laborat, multa dici possunt, quae hic referre omnia non opus erit. Saepe ita in plateas mittuntur liberi ut precibus supplicibus et commiseratione publica victum quaerant, non solum sibi met ipsis, sed etiam parentibus. Aliquando autem fit, ut, quae ita congresserint, ad victum sufficiant, aliquando etiam ut, nullo dono ac-

¹ STRASS, *Ursachen der Verbrechen*, p. 15.

² *Menschenkunde*, I, p. 322.

cepto, domum redire non audentes, castigationem parentum timentes, ad furta recurrant, ut ita aliquid saltem domum ferant. Prima vice quidem res non magni pretii auferunt, sed, impunitate consecuta, et majori audacia accedente, ad furta majora se convertunt, vera ita esse ostendentes haecce BOILAVII verba ¹:

»Dans le crime il suffit qu'une fois on débute
Une chute toujours attire une autre chute.»

Ex illa autem mala aut nulla educatione quin mores corrumpantur, dubium esse non potest. Ad quot mala ducat morum corruptela recte videbat SERVAN, scribens ²: »De vices en crimes, de crimes en loix, de loix en abus, et d'abus en remèdes, la machine politique se complique et s'affaiblit toujours d'avantage;» sic ³ sensus naturâ justî et aequi, ad bonum sequendum hominem invitantes, per malos mores corrumpuntur et ad malum trahunt; quum contra crimina etiam vix ulla committi, ubi mores puri et magna vivendi simplicitas adsunt, alii observarunt ⁴.

»Quid leges sine moribus vanae proficiunt?»

quaerebat jam HORATIUS, et sane, ubi morum corruptela regnat, ibi vitiorum, scelerum, criminum, omnia plena. — Morum corruptela ita merito vocatur ⁵, »foecunda genetrix et uberrima omnium, quae ab homine in hominem redundant scelerum et malorum, nutrix, saeva omnis omnino, quae in

¹ Satir, IX vs. 163.

² Discours sur les Moeurs. Bibl. Philos., VII, p. 33.

³ Du système pénal, Introd. LXX.

⁴ Ibidem, p. xxxv. »Chez une pareille population d'hommes, qui ne sentent, ni l'aiguillon du besoin, ni l'attrait du superflu, il faut avouer que l'absence, dans ce triste monde extérieur qui les environne, de tout ce qui allume nos passions est bien propre à rendre le crime plus rare.»

⁵ GANDERHEYDEN, Diss. cit. p. 16.

terris datur, felicitatis devastatrix, omnia parentes inter et liberos, fratres et fratres, cives et imperantem, omnes denique cives ligantia inter se vincula rapacibus discerpens dentibus, saevisque crudeliter dilacerans unguibus, monstrum horrendum atque ingens, quod omnem conturbat ordinem, omnem harmoniam, mundique moralis symmetriam subvertit, et sic in pristinum reducit chaos."

Si de morum corruptela quaeritur, mores imprimis attendendi sunt et vita foeminarum. Quales sint futuri mores populorum, a foeminis praesertim pendet. Non possum non huc referre locum licet longiorem viri harum rerum peritissimi, CAROLI LUCAS ¹, qui egregie hanc sententiam alius etiam experientia sic conformavit: »Je me suis donné, dit M. LIEBER, beaucoup de peine pour connaître l'histoire d'un certain nombre de condamnés, et, bien que mon enquête ait été nécessairement limitée, j'ai cependant constaté, qu'il y avait presque toujours quelque femme vicieuse et dépravée, qui jouait le rôle principal dans la vie du criminel; soit une mauvaise mère, qui avait corrompu par son exemple le coeur de son enfant, soit une épouse dissolue, dont les écarts et la violence avaient rendu le domicile conjugal insupportable à son mari; une prostituée, dont les exigences n'avaient pu être satisfaites que par le vol, une réceleuse ou une espone, qui avait été encouragée à l'exécution du crime et y avait participé. En principe rien n'est plus important pour l'ordre social, que la moralité de la femme; car c'est la moralité de la femme qui fait celle de la famille, et c'est la moralité de la famille qui garantit celle de la société."

¹ CH. LUCAS, Education pénit. des Femmes, in *Revue Pénitentiaire*, 1846, III, p. 336.

Quantopere rectae educationis defectus ad crimina ducat, inde quoque potest effici, quod in delinquentium etiam numero majorem semper occupant, quam oporteret, locum, infantes expositi ¹.

Nihil magis valere ad crimina avertenda quam bonos mores in populo, ostendit SPANGENBERG ². Neque frustra adhibentur, quae ad moralem conditionem civium provehendam tendunt. Illi profecto optimi erunt cives dicendi, quibus inest intima illa persuasio de sanctissimo suo officio vitam suam secundum Ethices et religionis praecepta constanter regendi. Eo valebit bona educatio, sensus honoris et pudoris in hominum animis excitatus et auctus.

Saepe juvenes, qui caeterum recta institutione usi sunt, ad malefacta criminaque accedere videmus, quum per pravorum librorum lectionem animus sit corruptus, qui ad artes et fraudes et maleficia quaevis legentes excitarent; sic quasi malo veneno infecti ad scelera transeunt. Non solos ita cogito libros, quibus ipsa delinquendi quasi ars quaedam docetur, uti, quum ostendatur, quo modo quam optime et dexterrime furari possint homines, quod fit in libello, cui titulus: *Histori of Pracktycke der Dieven* ³, sed cogito sic quoque libros recentioris aetatis, qui, uti celebria illa *Mysteria Parisiensia*, et similia, vitia et morum corruptelam infimorum hominum vividis coloribus depingentes,

¹ «Un gendarme disait: sur trois vauriens que j'arrête, il y a presque toujours un enfant trouvé. — Le baigne a 15 enfants abandonnés sur 100 forcats; il ne devait en avoir que 2 ou 3, mais la chance du crime est sextuple pour eux.» MARBEAU, in *Seances et Travaux de l'Acad. d. Sc. mor. et polit.*, 1846, X, p. 165.

² Opusc. laud. p. 40: «Moralität, die durch die Vorschriften des Christenthums so streng eingeschärft wird, ist ohne Zweifel das beste Vorbauungsmittel gegen die Beghung von Verbrechen.»

³ Utrecht bij de Weduwe van L. SNELLAERT.

sensus tamen et documenta generositatis et humanitatis ejusmodi iis tribuunt simul ut inde ipsum crimen quasi nobilitari videatur. Ratio, qua crimina committuntur, ita luculenter exposita, ad ea committenda ipsa allicit. Ita aliquis, deprehensus in furto, secum habens illum librum *Mysteriorum Parisiensium*, et rogatus, quis ei esset libri usus, respondit: se illo ad delinquendum adductum fuisse.

Mali illi mores, delicta ejusmodi, aliquando cum ipsis rebus sanctissimis cohaerent. Ita in Italia, uti in diariis narratum exstat ¹, crimina frequentia occurrere solent ante festum de nativitate Christi, quo scilicet laete festum agere amant Itali; qui non habent, quod in festum agendum impendant, ita latrocinii, furtis, homicidiis, sibi solent comparare, quo in eos usus indigent.

Sequela autem corruptelae illius morum saepe est, ut homines ita delinquendo assuescant, ut tandem consuetudo peccandi eos invadat. In hanc jam Veteres invecti sunt, quos inter CICERO in *Verrem* III, 76: »O consuetudo peccandi, quantam habes jucunditatem in improbis et audacibus, quum poena abfuit, et licentia consecuta est. — Serpit illud insitum in natura malum consuetudine peccandi libera, finem ut audaciae statuere ipsi non possit." Quo- modo etiam in hominibus dominetur vulgo consuetudo, ita ut inscū et incogitantes saepe committant, quae, re bene perpensa, commisissent numquam, scriptores de anthropologia et morali doctrina saepe observarunt ².

§ 8. *Religionis Contemptus.*

Uti religio recte adhibita multum valere potest ut ho-

¹ *Allgem. Zeitung*, 1841, N^o. 1.

² *Menschenkunde*, Leipz., 1792, p. 46.

mines a peccando se absterneant et desistant, ita ejus neglectus eosdem ad malefacta ducere potest. Peccat enim homo, quia est vitiosus homo; sed saepe a peccando se abstinere et crimina non committit, quia religione tenetur ¹. Recte etiam momentum religionis in facta hominum vidit, qui diceret ²: »Détachez du ciel notre terre, elle ne sera plus qu'un lieu de débauche ou une prison.»

Homines autem Deum colentes, eo ipso a criminibus committendis se absterneant: qui autem aut Deum non adesse sentiant aut ejus voluntatis non curam habeant, facile ad crimen accedunt. Ita in maximis hoc numeramus vitae huius bonis, quod secundum CICERONEM ³: »nulla gens est, neque tam mansueta neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.» — Qui autem se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet divinum, ingeniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit, tantoque munere Deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet ⁴. Recte CICERO ita religionem agnoscebat tamquam a malo praecaventem et ad bonum excitantem.

Religionem tueri, sanctissimum ideo merito habetur Principis officium. Hoc recte teneant quoque viri politici, fundamenta civitatis labefactare, qui religionem non curant ⁵. Errant sane, qui putent in civitate etiam vel jus certum et tutum praestari posse, deficiente religionis vinculo. Ipsa juris notio nititur fide religiosa mundi mora-

¹ MOREAU CHRISTOPHE, *Réforme des Prisons*, p. 56.

² *Encyclopédie des Gens du Monde*, in voce *Christianisme*.

³ *De Legibus*, I, c. 8.

⁴ *Ibid.*, I, 22.

⁵ »Si l'homme d'Etat détruit la religion, il ébranle le pilier fondamental de l'Etat,» DE DALBERG, *Rapports entre la Morale et la Politique*, p. 21, add BENJ. CONSTANT, *de la Religion*.

lis ¹. Certe longe majus quid est religio, quam remedium ad civitatis tranquillitatem tuendam et ad ordinem publicum servandum, uti tam egregie aliquando summus monuit GUIZOT ²; sed viri politici tamen, quam egregie religio ad civitatis proposita assequenda possit ducere, numquam obliviscantur; et quod obliviscerentur, sane tristis error fuit temporum, quibus rerum conversio debetur, versus finem saeculi praecedentis, error nondum expiatus. Certe bene de religione, bene de republica merebantur, qui initio hujus saeculi in patria hoc argumentum ad publicam disceptationem proponerent societatis Teylerianae religiosae moderatores, in cujus Societatis Operibus Vol. 20, a^o 1802, praeclaras continet nostratum, summi quoque KEMPERI, de hoc argumento disputationes. Ita quoque scribebat de religione civitati necessaria Vir. Cons. o. c. QUINTUS, Gron. 1805.

Erant inprimis tempore rerum conversionis Francicae, qui religionem parvi habentes existimarent, solam morum doctrinam, practicam philosophiam, sufficere ad hominum actiones regendas, sed experientia docuit, tristissimam esse temporum conditionem, ubi religionis non habetur ratio. Pluribus hac de re monuit Francicus scriptor, inter alia quum profiteretur ³: »la haine de la religion, des hom-

¹ »Die ganze Rechtsordnung ruht auf dem religiösen Glauben an eine sittliche Weltordnung, und eine religiöse Grundlage ist für das Recht so unentbehrlich, wie für des Menschen sittliche Bestimmung, der das Rechtsgesetz entstammt.“ PRIZER, *Gedanken über Recht etc.*, 1842, II, p. 23.

² »La religion un moyen d'ordre, de police sociale, etc.,“ sed significabat simul egregie GUIZOT, in *Revue Française*, quam multo majora et graviora in hominum animis religio procurat. Habebat E. C. UGEN, V. Cl. Berolini, 1838, *Orationem de religione, publicae civitatum felicitatis auctore*.

³ C. DESMARAIS, *Histoire des Histoires de la Révolution française*. Paris, 1834, p. 48—73, inpr. p. 49.

mes et des choses religieuses, cette haine poussée jusqu'à la rage la plus aveugle, est la passion qui a fait le plus de mal, qui a poussé à le plus de crimes dans le cours de l'orgie révolutionnaire." Ad pravos hominum cupiditates coercendas non solet satis valere sola officiorum ex philosophiae praeceptis contemplatio. Vehementes sensuum illecebrae, imprimis in hominibus minus cultis, saepe vincunt rationis auctoritatem. Pravae hominum libidini igitur frena injicienda quoque censuit summum numen, per sui ipsius, bona remunerantis, prava vindicantis, cogitationem. In quos ob iudicii fragilitatem vel incogitantiam virtutis praecepta satis efficaciae non solent habere, illi per Divini numinis venerationem a vitiis et flagitiis arceantur.

»Quanta autem e neglecta hac religionis disciplina, e remoto summi numinis cultu in genus humanum redundaverint quondam mala, ipsa experientia satis luculenter firmavit, quin etiam haud ita pridem horrendis imo sanguinolentissimis exemplis stabilivit." Haec scribens initio hujus saeculi V. CONS. GANDERHEYDEN¹, sic pergit: »Ex hoc fonte eruenta ista scelera horrenda, crudelitatis, impietatis ac furoris plena, profluxere. Spectacula, quibus integram fere gentem nuperrime cruciatam nostri temporis historia exhibuit, haec et innumera alia flagitia, non aliunde nisi ex hoc vomite sunt derivata": Aperte sic indicat tristem flagitiorum et scelerum historiam, quibus rerum conversionem Francicam, praecedentis saeculi fine, commaculatam omnes novimus. Et quis ita dubitet, cum scriptore eodem, *impiam religionis et summi numinis divinarumque legum contemptum et ignorantiam* praecipuis criminum causis accensere?

Quam difficile autem sit ex tabulis statisticis criminali-

¹ Diss. cit. p. 22.

bus aliquid certi efficere de conditione morali et religiosa populi cujusdam monet V. Cl. MITTERMAIER ¹. Dolendum etiam est in tabulis statisticis criminalibus non rationem haberi conditionis morales et religiosae delinquentium, neque investigari causam illam criminum uberrimam. » Cette cause, le philosophe et le législateur peuvent la trouver dans l'influence funeste des principes, qui affaiblissent ou détruisent les espérances et les craintes, que fait naître la religion ². Similia contendit DESCURET ³: » Il est bien à regretter que, dans les comptes rendus de la justice criminelle, on n'ait pas encore songé à rechercher la proportion des incrédules, des indifférents et des hommes religieux traduits devant les tribunaux. »

Et de rebus religiosis perversae opiniones saepe ad aberrationes ejusmodi ducunt, ut nescias fere, num, quae in religioso quodam fanatismo homines aliquando admittunt, criminibus sint accensenda, an vero potius ad alienationem mentis, tamquam ad causam, referenda.

In Germania exstat narratio de duobus hominibus saeculi praecedentis medii, qui bonos se esse christianos contenderent et caedem in homine judaeo rem licitam existimaverant, addentes, se matutinas, ut decebat, fudisse preces et sanctam Virginem, ut in exsequendo consilio auxilium ferret, ardentem implorasse; neque dubitabat caedis auctor, quin, his auditis, judex ipsum continuo absolveret. Aliud exemplum infelicissimum memoratur ovium pastoris, optimi sed simplicissimi hominis, qui, ut fidei Christianae

¹ *Die Strafgesetzgebung*, 1843, II, p. 76—247.

² CHANOINE DE BAM, *de l'utilité d'une statistique criminelle dans ses rapports avec les principes religieux*, in *Bulletin de l'Acad. Royale de Bruxelles*, 1842, IX, 250.

³ *La Médecine des Passions*. Paris 1841, p. 116.

suae constantiam et sinceritatem probaret, ABRAHAMUM, unicum filium ISAACUM in sacrificium offerentem, pietate superaturus, tres filios, quos habebat, trucidaret, fuis interim ex intimo pectore ad Deum precibus, ut ipsi vires et animum adderet.

Praeclarum est quoque exemplum quod praebuit a^o 1795 Amstelodami HARMEN ALFKENS, qui duos liberos suos trucidaverat, et tertium interficere constituerat, ut eos subtraheret hujus vitae miseriis, quum ipse, furti parvi commissi conscientia cruciatus et poenas hujus vitae et aeternas metuens, tantae fortunae infelicitati liberos suos subtrahere decrevisset ¹. Imo superstitiosae illae et fanaticae opiniones saepe in veram mentis alienationem transeunt, qua omnis moralis actionis aestimatio tollitur ².

Non solum igitur defectus sensus religiosi, sed etiam perversae de Deo rebusque divinis opiniones, sive superstitio, flagitiorum aliquando scelerumque existunt causae, quum homines, perversae pietatis non recte intellectae studio, licet ex mente pia et Deum colendi ardore, in horrenda tamen scelera saepe praecipites se dederint. Quis est, quin hic loci recordetur, e sacra hac superstitione oriunda innumerabilia inhumanae crudelitatis et barbariei exempla, quorum plenae sunt tot annalium historicorum paginae?

¹ Causam eximie expositam videre licet in HARMEN ALFKENS, *of, een wijsgeerige en rechtskundige Bijdrage tot het Lijfstraffelijk Regt*, door Mr. M. C. VAN HALL en Mr. W. Y. VAN BAMELSVELD. Amst. 1798; similia exempla occurrunt in DEMME, *Amalen der Criminalrechtspflege*, X, p. 167 sq., XII; 273 sq., 348 sqq.

² »Unter die psychischen Ursachen des Wahnsinns gehören vor vielen andern auch schwärmerische Religionsbegriffen,“ METZGER, *System d. gerichtl. Arzneiwissenschaft*, § 441.

Alia etiam exempla docent, ex superstitione crimina horrenda aliquando eorum auctoribus excusabilia censerī, si modo certis adhibitis ritibus ea patnaverint, quia tunc, ex religionis, uti putant, praeceptis facto ignoscitur. Erant qui censerent sufficere, eum in finem sinceram apud sacerdotem facti admissi confessionem¹; alii putabant furtum et homicidium recte expiari factis ad crucis signum in vicinia deprehensum precibus².

Non solum autem fanaticum religiosum sed politicum etiam ad gravia facinora ducere, nobis ostendunt inter alia, exempla CHARLOTTAE CORDAY, quae MARATUM, et SANDII, qui KOTZEBUEUM, ad patriae libertatem vindicandam trucidarunt.

Triste haud dubie negotium, hanc labem minime abfuisse a Christianis, qui per tot saecula adeo propter haereticas, quae vocarentur, opiniones in se mutuo invecti sunt, gestis bellis et suppliciis immanibus se invicem dilacerantes.

Haec omnia profecto qui attendit, persuasum sibi habeat necesse est, religionem, ratione suffultam et ab errorum purgatam nebulis, matrem omnis in populo serendae virtutis et propagandae sapientiae esse uberrimam; contra gravissima per superstitionem effici mala et pericula, quocirca ut haec depellatur, quantum ejus fieri possit, Imperantis est officium³. Quod etiam alius scriptor hisce verbis expressit: »so innig ich jenes Ideal alles Guten verehere und

¹ »Ich glaubte mich vor Gott hinlänglich gerechtfertigt, wenn ich die Sünde hinterher dem Priester beichtete, und die mir dafür auferlegte Büsse willig übernahm«, KLEIN, *Annalen d. Gesetzgeb.* IX, p. 44.

² »In der Nähe eines Crucifixes stahl Z., ein gläubiger Verehrer dieses Symbols, Holz: in der Nähe eben dieses Gegenstandes seiner Andacht beging er einen Todtschlag, und gleich nach der That kniete er an dieser heiligen Stelle, und hob seine blutigen Hände auf um den Gott der Liebe und des Friedens anzubeten,« *ibid.* p. 105.

³ GANDERBEYDEN, I. l. p. 26 sqq.

so fest ich überzeugt bin, dass eine aufgeklärte Religion Weisheit und Tugend unter dem Volke befördere, so unwidersprechlich zeigt doch Nachdenken und Erfahrung, dass Aberglauben für *ein* Gutes zehn Uebel stifte, dass die blossе Furcht vor einer leicht zu erzürnenden aber auch bald zu versöhnenden Gottheit die Menschen nicht von Uebelthaten zurück halte, dass eine durchgehends wirksame Moral auf ihren eigenen Gründen ruhen, und der Religion, wie die Sonne der Morgenröthe, folgen müsse."

§ 9. *Luxuries.*

Vitam luxuriosam omnis perversitatis matrem odio summo habebant jam veteres legislatores, uti apparet ex multis illis sumtuariis legibus, quas apud Orientales, Graecos et Romanos notarunt, qui de hoc argumento peculiariter egerunt, scriptores². Prouti ad varia referebantur argumenta leges illae, dictae sunt, funerariae, convivales, vestimentariae et ludicrae. Et leges ejusmodi sumtuarias ad luxum sistendum, cum apud alios Europae populos, tum apud nostrates habitas fuisse, et ex historia notum est, et ex Diss. altera modo citata p. 46 sqq. potest videri.

Satis vetus jam est, et praecedenti saeculo studiose tractata, controversia, an luxus civitati noceat, et, qualis noceat. Vulgaris erat sententia, civitati non omnem nocere luxum, sed tantum immodicum. Gravis autem inde oriebatur difficultas, fines luxus definiendi, ut constaret, qua-

¹ KLEIN, *Annalen der Gesetzgebung*, IX, 106.

² A. BOXMAN, *Diss. de Legibus Romanorum sumtuariis*. L. B. 1816, A. E. PENNING, *Diss. de Luxu et legibus sumtuariis ex Oeconomia politica judicandis*. Amstelod. 1826.

tenuis utilis esse pergat, et a quibus inde limitibus perniciosus evadat, sed hi limites accurate definiri non possunt propter summam conditionis, in qua homines degunt, diversitatem; quod illi valde inutile esse dici debet, id huic tanquam aptum, idoneum et decorum maxime erit considerandum. Hoc tenendum; res utendo consumi; qui jam recte rebus utitur et decore, secundum conditionem in qua versatur, recte agere est intelligendus, licet etiam denegari haud possit, omni rerum consumptione valorem extinguere, et ita per omnem consumptionem aliquem bonis privari, quae antea habebat; consumptio tamen bonorum necessaria est, ut satisfacere possimus indigentiae nostrae. Neque bona valorem habent nisi ob id ipsum, quod idonea sint ad satisfaciendum indigentiae nostrae; quod igitur res consumendo pereant, vel potius utilitas earum extinguatur, id ex ipsa rei natura sequitur; improbanda autem est ejusmodi consumptio, quae, ratione habita ejus, qui res adhibet, non erat necessaria, aut quae noxia erat. Et sic eos, qui vix habent unde victum quaerant, perperam agere, si sumtus faciunt in ea, quae ipsis non sunt necessaria, ultro apparet. Vita frui et largiter frui est res, quae omnem hominem satis ultro allicit. Vitae voluptatibus frui, multis censetur demum vere vivere. Sic luxuries ingravescit, quae nihil spectat nisi voluptates illas vitae, quibus facillime et in summo otio, imo inertia et desidia, frui possimus.

Luxuries ita, varias civium classes invadens, omnes, qui ei sunt dediti, eo ducit, ut in delectationibus tam publicis quam privatis summum bonum ponant. A laboribus strenuis et utilibus ita magis magisque alieni, in desidiam et inertiam incidunt, et ita demum, si nihil agant, vita frui se profitentur. Quum autem ita sumtibus satisfacere, quos luxuriam requirat, nequeant, eos invadit vera egestas, et

in tristissimam conditionem delabuntur. Ita quum Romani luxuriei indulgissent, magis magisque ab antiquo flore populus descivit; nam, cum post C. MANLIUM triumphum luxuries Romam liberam invasit et necessaria exstitit, libertatem amisit. Eodem fascino Romani populos, libertatis conservandae olim studiosissimos, sibi obnoxios fecerunt, donec ipsi plane corrupti desinerent esse bellicosi; et gentium Germanicae originis potestati subjecti, id, quod aliis diu injecerant, jugum ipsi subire cogebantur ¹.

Luxum omnino civitati perniciosum esse posse, monebat jam SALLUSTIUS ². »Postquam divitiae honori esse coeperunt et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci coepit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia, cum superbia invasere: rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere.» Quomodo luxuries criminum esset mater, egregie SALLUSTIUS ita monet; *rapere certe, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua habere*, quae tamquam luxuriei sequelas SALLUSTIUS notat, non tantum bonis moribus sunt contraria, sed veras continent juris laesiones, vera crimina. Et sane haud minus explicite CICERO ³: »in urbe luxuria creatur, ex luxuria existat avaritia necesse est; ex avaritia erumpat audacia, inde omnia scelera ac maleficia gignuntur.» Luxuries etiam in vita publica Romanos effrenata pecuniae cupidine accendebat. Exstiterunt ita post bellum cum ANTIOCHO, publice fere, falsi testes,

¹ PESTEL, *fundam. jurispr. Nat.*, Parte I, S. IV, § 194.

² SALLUSTIUS, *Catilin.* c. 12.

³ *Orat. pro Sez. Roscio Amerino*, c. 27 in fine.

falsi delatores, homicidae, qui, pecunia data, fere omnes eodem tempore impunitate gauderent. Eo tempore, quo PTOLEMAEUS Romam se conferebat, ut auxilium a Senatu contra Alexandriam peteret, CATO eum difficile omnino opus aggredi monebat, quum Romae Senatores non nisi auro moveri possent, et avaritiam, moresque corruptos eo processisse testabatur, ut tota Egyptus, etiamsi auro constaret solo, avaritiae non sufficeret.

Haec et alia similia exempla ex Romanorum historia affert scriptor patrius¹ ut ostendat, luxuriam Romanos ad quaevis flagitia duxisse. Paulo post probare conatur, luxuriam natura sua eo ducere, ut omnes sensus egregii et excelsi, per quos ad praeclara facinora evehi, aut ad virtutem reduci quis possit, ex eo tollantur, quod inprimis de sensu religionis valere monet².

Apparet ex hisce, luxuriosae vitae non solum nostro aevo, sed antiquitati etiam, commune fuisse vitium; qui, superbia elati, ditiores se haberi volunt quam revera sunt, quasi divites essent, impensas multas erogant, quibus ex bonis ipsi suis satisfacere nequeunt, ita ad aes alienum se conferunt et magis magisque debitis se mergunt. Hoc quidem per tempus aliquod procedit, sed, creditores quum amplius pecuniam iis mutuo dare nolint, si neque alii adsunt a quibus pecuniam extorquere possint, id maxime agunt, ut quibuscunque modis ea, quibus egere se censeant, sibi comparent. Ita magnis sumptibus erogandis assueti pecu-

¹ C. VAN ENGELEN, *Brieven over de Weelde, als hoogst nadeelig voor deugd en geluk, en verderfelijk voor den burgerstaat*. Haarlem, 1791, I, Epist. 6, p. 60 seqq.

² Epist. 10, p. 108 sqq. Cf. p. 156: »hij veroorlooft zich alle misdaden, zoo hij daarvan slechts geene nadeelen op de wereld heeft te vreezen.»

niam quaerunt et nummos quavis ratione, et delicto aut crimini etiam se dant illi, ut pecuniam nanciscantur, qua luxuriose vitam agere possint. »Le luxe, pour fournir aux dépenses, qui deviennent de jour en jour plus grandes et plus énormes, dégénère bientôt en avarice, et est forcé d'avoir recours aux injustices et aux rapines ¹.»

Luxus ita merito criminum committendorum fons est et opportunitas; quot furtis domesticis v. c. datus est locus, quum famuli et famulae, ut vestimentorum luxuriei et ornamentorum cupidini indulgeant, saepe rapiant, quibus opus iis est ad sumtus erogandos in vestimenta et ornamenta, quae, illorum conditione superiora, geri tantum solent ab iis, qui ad ordinem socialem superiorem quemdam pertinere sunt censendi ².

Vita, quam nos jam universe hoc aevo agimus, maxime est industrialis. Per industriae hoc vel illud genus ad magnas divitias adipiscendas summo ardore homines feruntur, et ut quam citissime opes nanciscantur vires intendunt. Ita quo major, quo firmior stabiliatur apud alios omnes persuasio de divitiis, quibus jam polleant, ut major ipsis praebeatur fides (crediet) luxuriose et sumtuose vivunt, et si postea solvendo impares deprehensi (failliet), cum creditoribus de debitis convenerint, in integrum restituti denuo laute vivere incipiunt, ut alios de divitiis, quasi acquisitae essent, quae acquirendae tamen sunt adhuc, reddant certiores ³.

¹ ROLLIN, *Manière d'enseigner*, etc. IV, p. 20.

² STRASS, *Ursachen der Verbrechen*, p. 18.

³ Cf. M. TYDEMAN, *Redev. over de Weelde*, uit het Latijn vertaald. Utrecht, 1773, p. 34 sqq., qui etiam recte p. 45 sq., observat luxuriam ita maxime ducere ad crimina occulta, ad fraudes, a quibus alii probi iustique homines vix sibi possunt cavere.

Apud foeminas praesertim luxum in vestimentis sumtibus majoribus locum dare quam quos erogare eum in finem honeste possunt, experientia docet. Ita plurimae quotannis certe eo adducuntur, ut a virtutis via decedant. PARENT DUCHÂTELET, in inquisitione causarum quae Parisiis ad lenocinium ducant, multum tribuendum esse ostendit luxuriae vestimentorum. Et certe, cujus momenti ea res sit in foeminis, jam vidit CATO, qui, cum retinendam esse legem *OPPIAM de cultu mulierum* in Senatu contenderet, »vultis hoc certamen »dicit» uxoribus vestris injicere, Quirites, ut divites id habere velint, quod nulla alia possit? pauperes, ne ob hoc ipsum contemnantur, supra vires se extendant? Nae, simul pudere, quod non oportet, coeperit; quod oportet, non pudebit; quae de suo poterit, parabit; quae non poterit, virum rogabit. Miserum illum virum, et qui exoratus, et qui non exoratus erit! quum, quod ipse non dederit, datum ab aliis videbit ¹." Actum ita est de bonis moribus, actum de vita familiae, omnis probitatis et honestatis conservatrice.

Sed melius hoc argumentum concludere non licet quam his PESTELI verbis ²: »Hac necessitate sumtus nimios faciendi promiscue invecta paulatim efficitur gurges quidam malorum, quae tum per se, tum ob celeritatem propagationis ad varias civium classes, tum ob difficultatem medellae, postquam invaluerunt, societatem premunt et multis malis implicant. Oblectationum publicarum et privatarum variatione in formam artis redacta, huic studere, hac excellere, id demum vocatur, *vita frui*. Paulatim eos enervat mollitudo, quorum labore, fortitudine, firmitate sus-

¹ LIVIUS, l. 34 c. 4.

² PESTEL, *Fund. Jurispr. Nat.*, § 194.

tentari debebat societas. Pigritia, *vitae elegantis* nomine coruscans, ornamento est opulentis, eoque magis nocet, quo plures, qui solo labore societati poterant esse utiles, desidi vitae assuefacit, et involvit (veluti *luxus* famulitiorum testatur, qui perpetuam eorum corruptelam gignit). Gliscit porro mos indigentiae terminos non naturae, sed opinioni hominum, eique in horas mutabili, convenienter extendendi in infinitum. Exinde ingruit labes *avaritiae cujusdam necessariae*; quoniam multa possidendi necessitas non relinquit locum continentiae modicae et abstinentiae nonnisi ea, quae licite comparari possunt, desideranti.

Hinc venalia paulatim fiunt omnia. Probitas alget. Multitudo peccantium exstinguit peccandi pudorem. Hic primum fugit ex familiis, mox ex toto corpore societatis. *Corrumperet et corrumpi*, ut ait TACITUS, *saeculum* vocatur. Sequi solet hoc malum, ut conjugum fides habeatur ludibrio, et donis dandis venalis fiat. Fortunati sibi videntur coelibes et orbi. Liberos nutrire, matri inhonorem; liberaliter educare utrique parenti fit onus intolerandum. Vicissim liberorum erga parentes reverentia nulla, nedum amor. *Filius ante diem patrios inquit in annos*. Posteritatis et curam et de se iudicium metuens exhibetur. Quis est talis saeculi fructus? Sensim domos complures invadit *vera egestas*. Cum re deficit animus aliquid laudabile agendi, nec tamen finiuntur desideria. Fides in tota societate fit angustior. Quaeruntur novi sumtuum ferendorum fontes. Dummodo suppetat unde molliter ac jucunde vivas, nil refert, cui servias. Ita pereunte libertatis retinendae aculeo, qualiscunque sit imperiorum forma, fundatur dominatus sive externorum, sive praepotentium et audaciorum in ipso sinu luxuriosae civitatis."

§ 10. *Aleae lusus.*

Sunt multa negotia, sunt multae actiones humanae, quae quin juris et justitiae regulis repugnent, dubitari non potest; furari, rapere, latrocinari, omnium opinione merito pro crimine habetur, alia vero non adeo in se videntur notionem comprehendere injustitiae aut improbitatis, edere, bibere, aleam ludere, etc. — Sic praefationem opusculo suo de ludo praepositam orditur BARBEYRACIUS, sed observat porro, rem, in se haud illicitam, et minime improbandam, ad mala ducere posse propter abusum aut vitia hominum, quod etiam quam maxime de aleae lusu valere animadvertit Vir. Cl. H. COCK, in Comment. praemio ornata *de alea*, Traj. ad Rhen. 1819, p. 22. Certe multa saepe per se non inhonesta, attamen, aut exempli vi, aut scelerum opportunitate, aut abutendi facultate, existunt maxime damnosa, et ita alea, quamvis, sua natura, nec possit ad delicta referri nec debeat, adeo tamen cerea est in vitium flecti, ut merito dixeris, quod de voluptate PLATO affirmavit, eam esse malorum etiam omnium matrem; sed integrum locum apponere liceat, ut ad quae vitia ducere possit vehemens aleae usus, plane intelligatur.

»Nec quidquam est quod perinde ad foedas et impuras animi perturbationes concitandas valeat. Haec enim cupiditatem, animi duritiam, avaritiam, impudentiam, perfidiam, superstitiones, invidiam, iram, oblectationem, odium, inimicitias, desperationem, quaeque reliquae sunt turbulentae animorum commotiones, in vitam hominum, quasi quasdam furias, inmittit atque excitat. Has quidem palam declarat solus aleatorum adpectus: declarat altum illud ac mortis simile silentium, saevis identidem clamoribus inter-

ruptum; declarant denique hiantia aleatorum ora, ardentis oculi, impedita respiratio, gelidus tremor, anxii gemitus, suspensus incertusque vultus, crebra coloris mutatio, erumpentesque media hieme sudores, totius denique corporis convulsiones, atque inter spem et metum magna contrariorum motuum, ac totius adeo naturae confusio et quasi exanimatio.

Deinde vero, quis non videt, quantum ad ignaviam ac deses otium in civitate promovendum, civesque ab omni penitus industria avocandos conferat, dum lucri notionem ab honesti laboris idea segregat. Nimirum spei alacritas, ac toto animo concepta turpis lucri dulcedo maximopere ab optimis quibusvis studiis abducit homines. Quam multos bene et liberaliter educatos adolescentes, qui magnam sui expectationem concitaverant, atque erecti fortuna ad gloriam ac laudem videbantur, ab optimo vitae instituto ad pessimam ejus degendae rationem alea deduxit?

Fortunarum autem eversiones, illustrissimarumque gentium subitas ex alea ruinas, cum maximo civitatis damno morumque publicorum detrimento conjunctas, cuius facile est cognoscere. Quam multi enim passi sunt, qui, in aleae scopulum lapsi, misere ita fecere naufragium, vix ut licuerit enatare undis? Quam multi passim ex honoribus amplissimis fortunisque maximis ad inopiam redacti? Neque vero ulla charybdis tam vorax, quae tot res, tot copias ac facultates tam cito absorbere possit. Atque ita quidem, ex felici prosperaque vel tolerabili fortuna, facti repente miserrimi, exhaustis rebus ac conjugis liberorumque consumto victu, alii ad spoliationes, furta, rapinas ac peculatus sese contulerunt; alii, omnem calamitatis culpam in se positam esse cogitantes, veluti peccati conscientia et indignationis magnitudine oppressi, lucem oderunt et moerore

confecti contabuerunt; alii ad laqueum, ad praecipitium, ad vim confugere, omniaque tentarunt ultima. Quid vero memorem feros illos aleatorum coetus, qui saepe conviciis, saepe etiam caede et vulneribus transiguntur?"

Ad pravorum hominum consortium ducere quoque immoderatam aleae ludendi cupiditatem recte BARBEYRACIUS observat IV, c. 4, § 4. Ut aleâ ludatur, expetitur quorumcunque hominum commercium etiam eorum, quibuscum commercium habere caeterum dedecori haberetur. AMMIANUS MARCELLINUS, quum libro 28, c. 4, de vitiis sui temporis Romae dicat, contendit, in media illa morum corruptela omnes amicitias Romae tepescere, sed: »*solas alearias quasi gloriosis quaesitas sudoribus, sociales esse, et adfectu nimio firmitate plena connexas.*» Ita ad quaevis vitia aleae lusus vehementia ducit¹. Tabularum Romanensium scriptores vividis etiam aliquando coloribus horrenda illa omnia depingunt, ad quae per aleae tristem vehementiam homines feruntur².

Quid de aleae lusu inprimis ad ejus abusum sistendum constituerint leges cum apud veteres populos, tum apud recentiores, late exposuit Vir. Cl. COCK, Disp. cit. c. 3 et 4, quae omnia hic referre non attinet. Furum et latronum instar in Graecia habitos fuisse, qui aleae vitam impenderent, narrat ARISTOTELES. Antiquitus jam Romae ve-

¹ »On nourrit dans son propre cocur, l'avarice, l'avidité, l'amour du plaisir et de l'oisiveté, et l'on y porte ou l'on y confirme les autres par son exemple." BARBEYRAC, l. c. IV, c. 5, § 7. Cf. idem c. 7, § 6.

² Praeclara descriptio apud JULES JANIN, *le Chemin de Traverse*, 1836, II, p. 175 sqq. Dixerat jam THOMAS: »le jeu est un gouffre, qui n'a ni fond, ni rivage." Cf. DESCURET, *la Médecine des passions*, Paris, 1841, p. 640 sqq., qui p. 661, indicat, ad quae crimina alea soleat ducere.

tita legibus alea, ut HORATIUS testatur ¹. De effrenata aleae libidine apud veteres Germanos, quae TACITUS, *de Mor. Germ.* c. 24, profitetur, in vulgus nota sunt. In iuribus urbanis multis patriae nostrae antiquis aleae lusus prohibitus erat. Certe laudandae sunt leges, quae, quum ex hominum animis perversa studia evellere haud possint, ea tamen regere et temperare conantur. Ita in locis, ubi aquae adsunt et balnea ad sanitatem corporis curandam, ubi aleae lusus, et quidem vehemens, ad oblectamenta necessaria videtur pertinere, leges et ordinationes solent definire, quod tempus, quibus diebus, aleae lusui liceat impendere. Ita publica auctoritate temperatur alea, curatur ut conditionibus ludatur haud nimis iniquis, et falsum, vis, dolus, metus, caeteraeque arceantur malae aleatorum artes; sed et has cautelas, licet laudandas, tamen non satis valere ad tristissima mala arcenda, docuit experientia.

Aleae lusum promoverunt etiam quam maxime lusus illi publici aleatorii, *Lotariae* vulgo dicti. Publica auctoritate institutae eo tendunt, ut ex iis, quae ludus gignit, emolumentis, redditus quidam in aerarium deferatur. Lotariarum illarum origines et fata persecuti sunt alii ². Haud dubie ita fraudes arceri possunt, caveri potest, ut bona fides observetur in aleatorio ludo et suum tribuatur cuique, et eo nomine lotarias illas publicas multi sunt tuiti; attamen experientia quoque satis superque docuit, et in publicis illis ludis cives, aleae furore ductos, bona, famam, et vitam etiam perdidisse. Neque mirum idcirco eas lotarias jam in variis Europae regionibus esse sublatas, uti in Fran-

¹ Leges veterum Romanorum hac de re persequitur etiam ST. EDMÉ, *Dictionnaire de la Pénalité*, IV, p. 236.

² BECKMAN, *Gesch. d. Erfindungen*, V, p. 309 sqq.

cia, ubi postquam in nonnullis partibus iam antea fuerant suppressae, lex 21 April 1832 decrevit, inde ab a^o 1836, omnem lotariam publicam cessare oportere, et aliae lotariae sublatae sunt lege 23 Maii 1836 ¹. Ad quae mala autem ducant lotariae illae publicae, ostendit nobis Franciae exemplum, cujus 21 sunt regiones illa cupidine insignes, quae iis quotannis 46 millies millena francorum (francs) impendunt, quum 65 reliquae tantum 5 millies millena iis adhibeant. Quam diversa autem sit ratio criminum in alterutra parte ex hisce sequitur; criminis veneficii in 21 regionibus lotariis deditis 9 occurrunt condemnati, in 65 caeteris 11. Laesionum a liberis parentibus illatarum regiones illae 21 condemnatos habuerunt 351, 65 caeterae 355. Liberi naturales in 21 regionibus, 34,376, quum numerus 35,016 occurrit in caeteris 65 ².

A lotariis publicis diversi sunt ludi illi aleatorii, qui, privatorum sumtibus, in domibus eum in finem destinatis, at publica auctoritate admissis, solent agi. Hujusmodi sunt ludi illi in locis, ubi aquae thermales habentur, ubi illi, quorum nomine et in quorum commodum ludi aguntur, magnos sumtus solent impendere, ut loci amoenitas quam plurimos ad se trahat, ex quorum aleâ ludendi cupiditate ipsi majora in dies lucra percipient. Hujusmodi domus habebantur etiam complures Parisiis et sat magnos redditus ex venia data percipiebat urbis aerarium, sed etiam lege de rebus pecuniariis d. 18 Julii 1836 sunt sublatae ³. Et sic in compluribus regionibus Germaniae tum lotariae, tum

¹ Art. I: »Les Loteries de toute espèce sont prohibées.»

² CH. DUPIN, *Gazette des Tribunaux*, N^o. 1841.

³ Art. 10: »à dater du 1^{er} Janvier 1838, les jeux publics sont supprimés.»

ludi illi aleatorii privilegiati sublatis sunt vel de iis tollendis agitur.

Ex tabulis statisticis jam constat, multos eorum qui sibi violentas manus inferunt, ut mortem sibi dent, caedem sui committere ob pecuniam aleae ludo amissam. Et tamen in acceptis non unius regni summa etiam occurrit ex ludi ejusmodi publici (lotaria vulgo dicitur) redivisibus percepta. Monebat aliquando DE PASTORET, vix sperari posse criminum diminutionem, si civitas vitii et flagitiis favet per instituta ipsa sua, et haec ad aleae ludos, in commodum privatorum at publice probatos, transfert haud immerito CH. LUCAS ¹.

Sane aleae usum prudenter regendo leges civitatis multa mala possunt avertere, quod profecto non faciunt, quoties instituta publica aleae favent, veluti debitis publicis contrahendis, quae non nisi aleae lusu nituntur, aut domibus aut mensis aleatoriis privilegia concedendo, e quibus ipsa civitas lucrum capiat: »Malheureusement, au lieu de diminuer la tentation du mal, les Gouvernements vont trop souvent jusqu'à l'alimenter et l'étendre, en faisant du vice un objet de spéculation, et une source impie de revenus ².»

Hinc scriptores Oeconomiae politicae multis rationibus allatis ostenderunt, quam male ita ad debita publica aleae lusus referatur ³.

¹ PASTORET, *Lois pénales*, III, 124, add. CH. LUCAS, *Du système Pénal*, l. c. p. 165 haec referens: »Ne dirait-on pas que ces lignes sont écrites d'hier pour flétrir un budget, qui porte à l'article des recettes les mots: *jeux publics et loteries*.»

² CH. LUCAS, *Du système pénal*, p. 169.

³ VOLZ, *Die Lotterie-Anlehen des Staates und ihr Einfluss auf die Gewerbe-Oeconomie*, in *Zeitschr. f. Staatswiss.*, 1845, fasc. 2, p. 377, qui ea instituta dicit: »unmoralisch, unvorsichtig, unpolitisch, der Industrie nachtheilig.» etc.

Multa etiam exempla continent annales locorum, quo sanitatis quasi recuperandae gratia homines convenerunt, (in quibus autem saepe loco recuperatae sanitas magis magisque amittitur) hominum ad crimen sic adductorum. Cognitum adhuc est recens factum illius juvenis, qui, Coloniae Agrippinae e familia honestissima natus, quum ad mensam aleatoriam viridam (roulette) omne quod secum haberet attulisset et amisisset, eo ludi ardore abripi se passus est, ut pecuniam, quae in mensa jacebat, palam rapere non dubitaret.

Merito itaque vocatur ludus a summo ROSSAVIO: »le dissipateur des biens, la perte du temps, le gouffre des richesses, l'écueil de l'innocence, l'ennemi des moeurs, le père des querelles."

Qui ita eo pervenire posset legislator, ut aleatorii ludi in hominibus vehementiam reprimeret, haud dubie ea quoque ratione numerum criminum minui brevi animadverteret.

§ 11. *Ebrietas.*

Si rationis maxime facultate homo reliquis animantibus praecellit, certe nulla conditio eo magis est indigna, quam ebrietatis, in quam quis se coniecit, quum ea eum rationis usu destituit. Non itaque injuria veteribus jam ebrietas dedecori habebatur, et Spartani, ut juventuti vivide exponerent ad quae inhonesta ebrietas ducere possit, servos in ebrietatem conjiciebant, hosque publice exponerent, ut ita juvenus ab ebrietate abhorre disceret.

Romae etiam ebrietas magno dedecori habebatur, et rari ibi aderant ebrietatis casus vigente Republica, sed, quum postea magis magisque ab antiquo flore decessisset urbs Roma, ebrietas longe frequentior exstitit.

In Hispania postea ebrietas ita dedecori habebatur, ut adesset quaedam lex vetus, quae nobili ob crimen capitis damnato libertatem concederet, dummodo contenderet se ebrietate ad illud committendum accessisse. Narrant autem numquam nobilem ad hanc legem provocasse, ut libertatem sibi exposceret; tanto dedecore affici censebatur is, qui ebrietatis servum se agnoscebat, ut mori mallet, quam ea lege vivere ¹.

Multorum certe malorum ebrietas est causa; non immerito itaque ebrietatis etiam in crimina effectus accuratius investigari coeperunt. Hanc necessitudinem autem in diversis regionibus diversam esse, non est quod miremur, quum diversissimus etiam sit in variis imperiis usus et abusus potuum spirituosorum.

Ita ebrietati tributam videmus dimidium criminum ut et morborum; tres quartas partes paupertatis, quatuor quintas partes calamitatum in Germaniatribuendas censet ebrietati M. A. AMSHOFF ². Tamquam fontem praecipuum paupertatis, morum corruptelae, et omnis improbitatis eam considerat vir maxime venerandus HUYDECOPER ³. Eandem sententiam etiam tuitus est vir Amplissimus COOKE, ex Ohio delegatus, qui non satis monere se posse ait, ebrietatem praecipue tellurem hancce nostram mendicantibus et delinquentibus omnis generis replere; veneno eo fundamenta omnis felicitatis civilis et domesticae inficiuntur, et lacrimis doloribusque terra impletur ⁴.

Qui iudices criminales causas investigant, sciunt quam

¹ HUYDECOPER, *Woord van Ernst en Liefde*, p. 80.

² *Moed en Volharding, eene Toespraak*, p. 13.

³ Op. cit. p. 100.

⁴ HUYDECOPER, op. cit. p. 93.

saepe ebrietas ad horrenda etiam crimina ducat, et homines initio probos et virtutis amantes in perniciem dederit; et leve pretium potuum spirituosorum eo ducere etiam, ut ebrietati magis se dedant homines, observatum est ¹.

Postremis hisce quidem temporibus cultiores homines eo tendunt ut potum illum magis magisque populo dissuadeant; sed tamen diu adhuc iisdem usuros esse homines statui tuto posse videtur. In coetu habito Londini congregationis, quae omnem usum potuum spirituosorum per universum orbem tollendum sibi proponit, die 5 m. Augusti 1846, multa relata fuerunt, quae usum potuum illorum in diversis magnae Britanniae partibus spectant. Ita ibi quoque haud pauca vinculum indicant, quo usus potuum illorum cum delictorum et delinquentium numero cohaeret. Ex relationibus statisticis efficitur, Londini frequentissima crimina ab ebris committi et in illorum flagitiosorum adeo hominum usum cedunt potus spirituosorum pretio ter millies mille libr. sterl.; hinc illi centum et quinquaginta millia hominum, qui Londini hodieque immoderato usui potuum spirituosorum se dedunt. Quis dubitat sic de vinculo inter crimen et ebrietatem ².

Quam crebra ebrietas sit Londini hinc etiam patet, quod ibi quotannis, secundum politiae officarios, 30,000 homines ebrietate sopiti in plateis inveniuntur, et ex 95,000 litibus, quae anno 1830 a curia assisarum tractabantur, quatuor

¹ STRASS, *Ursachen der Verbrechen*, p. 11. »Die zu grosse Wohlfeilheit des Branntweins ist eine Haupt-Ursache der vermehrten Verbrechen. Welche grosse Rolle der Branntwein in der neuern Culturgeschichte spielt, wie höchst schädlich er in die Verhältnisse der menschlichen Gesellschaft, sowohl geistig, als körperlich, eingreift, wird kein aufmerksamer Praktiker verkennen,» ubi porro exempla afferuntur.

² *Journal de la Haye*, 1846, N^o. 191.

quintas partes ebrios fuisse, constitisse aliunde videmus ¹. Longius autem procedit MOORE qui, narrans quomodo criminum numerus augetur eadem ratione, qua lupanaria (public houses) plura exstare coeperint, dicit, Londini fere omnia crimina et delicta causam habere ebrietatem et ea quotidie adhuc increscere. Ut ostendat, quam frequenter ibi ebrietas locum habeat, commemorat, anno 1833 Londini, (non comprehensa illa parte quae city vocatur) 29,880 ob ebrietatem institutas esse querelas; et notum est persecutioni ejusmodi locum non dari nisi ob gravem ebrietatem ².

Albourni, Angliae urbe numero 1400 incolarum, 647 delinquentes carcere detinebantur, ex his 467 usui potuum spirituosorum erant dediti ($\frac{3}{4}$ circiter) quum 346 eorum ebrii deliquissent, itaque plures dimidia parte omnium delinquentium ad crimina ebrietate ductos esse constat. Alibi autem ex 39 qui carcere erant comprehensi, 35 erant potibus spirituosis dediti. Adest etiam quidam magistratus Londinensis, qui narrat se, dum per tres annos munere fungeretur, delinquentes maximam partem queri audivisse de ebrietate, delictorum suorum causa. Constitit ei ex confessionibus, fere omnes ob homicidium damnatos ad crimen ebrietate fuisse ductos. Quod ita MOORE de homicidiis statuit, id de caeteris etiam affirmat iudex HOLES, qui per 20 annos, quibus munere suoungebatur, vidit quatuor quintas partes omnium criminum causam habere ebrietatem ³. Ex 5000 delinquentibus, qui in urbe New-York (2,000,000 incolis) puniuntur, maxima pars ex ebrietate ad delinquendum accessit ⁴.

¹ F. W. FABIVS, *Een woord van Opwekking*, p. 22.

² ABBING, *Zedelijke Beschouwing der Dronkenschap*, p. 10.

³ DUPARC, *Het gebruik en misbruik der sterke Dranken*, etc., p. 116.

⁴ ABBING, I. I.

Parisiis dimidia pars delinquentium abutitur potubus spirituosus. Ebrietatis autem in calamitatibus, quae ex imprudentia in currubus regendis locum habeant, effectus sunt perspicui et magni, nam ex 270 qui ibi uno anno damnum eiusmodi dederint ex imprudentia, 120 ebrietatis versabantur in conditione, quum ex 400 casibus vulgo 70 per ebrietatem, 20 per negligentiam, et 10 fortuito exstiterint ¹, et secundum virum summum QUETELET ², ex 1129 homicidiis, quae per 4 annos in Francia commissa fuisse constat, 446 causam habebant rixas in cauponis, tabernis aut diversoriis. In patria nostra ³ crimina plurima ebrii committunt. De militibus, qui carcere militari detinentur, testatur quidam ministerii publici magistratus, talis carceris curator, eos omnes, nullo excepto, ebrios deliquisse ⁴.

Ebrietatem divortiorum matrem vocat vir quidam maxime venerandus, tribunalis cujusdam praeses, qui reperiit pro quatuor quintis partibus divortia tribuenda esse potuum spirituosorum abusui ⁵. Hic autem memorare omnes illos casus, in quibus ebrii homines ad delinquendum incitati sunt, uti parricida DORVILLERS, qui, ob admonitionem patri iratus, eum trucidavit ⁶, aut historiam ejus furis ebrii, qui nocte ex domo habitata plumbi et ferri aliquid furatus est, et ob id ad carcerem quinque annorum, et infamiam publicam damnatus est, non videtur opus ⁷. Tristis certe est observatio, quum incendium magnum illud Hambur-

¹ DUPARC., l. 1. p. 108.

² *Ueb. d. Menschen*, etc., Stuttgart. 1838, p. 555.

³ Cui immerito certe palmam ob moralitatem concedit FROEJEP, *neue Notizen*, 166, Nov. 1838.

⁴ DUPARC., l. 1. p. 124.

⁵ ABBRING, l. 1. p. 12.

⁶ ABBRING, l. 1. p. 5.

⁷ *Handelsblad*, Jun. 1841, N^o. 2897.

gense fere totam urbem conflagraret, 8 Maji 1842, multos, qui ad illud extinguendum vires intenderent, ebrios fuisse, quo factum fuerit etiam ut incendium longius latinisque se extenderit¹. Quaedam tamen de ebrietate frequenti caedis sui matre hic afferre licet.

CASPER² ab usum potuum spirituosorum causam considerat numeri increscentis autocheiriarum maximam. Quartam partem earum, quae inter annos 1812 et 1821 sint peractae, causam habere ebrietatem contenderunt alii.

Kamschatkae incolae, licet sorte sua plerumque contenti, tamen frequenter caede sui finem vitae imponunt, idque maxime ebrietatis in conditione versantes³.

Verum est universe criminum numerum hocce saeculo magis magisque fere ubivis increscere, quod etiam de caede sui valet. Ita Berolini ab anno 1788 usque ad 1797 62 tantum autocheiriae commissae sunt; hic autem numerus per idem spatium annorum (1803—1822) ad 544 increverat. Parisiis quum per annos 1817—1822 346 locum habuissent caedes sui, anno 1834 solo earum 574 perfectae sunt⁴. Ex tabulis statisticis de Juris Crim. administratione in Francia reperimus ibi fuisse commissas autocheirias

Anno	Vir.	Foem.	ab ebriis	Vir.	Foem.
1835.	2,305	(1784—521)			
" 1836.	2,340	(1775—565)	153	84	(72—12.)
" 1837.	2,443	(1811—632)	" "	129	(107—22.)
" 1838.	2,586	(1886—700)	" "	137	(111—26)
" 1839.	2,747	(2049—698)	" "	182	(151—31.)
" 1840.	2,752	(2040—712)	" "	185	(163—22.)
" 1841.	2,814	(2139—675)	" "	167	(145—22.)
" 1842.	2,866	(2129—737)	" "	238	(204—34.)
" 1843.	3,020	(2291—729)	" "	194	(167—27.)
" 1844.	2,973	(2197—776)	" "		

¹ Res narratur in *Amsterd. Matigheids-Genootschap*, N^o. 6, p. 9.

² *Beiträge zur Medic. Statistik und Staatsarzneikunde*, Berlin 1825.

³ DUPARC., l. 1. p. 81.

⁴ DUPARC., l. 1. p. 83.

Anno itaque 1837, quo numerus autocheiriarum ab ebris commissarum (48 ex 2443) existit minimus, trigesimam tantum partem ebrietas ad caedem sui dixit; anno autem 1843, quo numerus ille maximus exstaret (238 ex 3020) decimam tertiam partem effecit.

In Tabulis annum 1836 spectantibus in tabula peculiari statistices Francicae causae exhibentur autocheiriae. Difficillimum certe est ea de re certi quid statuere. Causa criminis etiam ex interrogatione ipsius rei potest indagari, sed vulgo quidem non nisi praesumi potest causa movens in eo, qui mortem sibi consciverit, qui interrogari amplius non potest. Annis praecedentibus 1831 in tabulis statisticis de juris criminalis administratione in Francia nondum occurrit mentio causarum ejusmodi quae ad autocheiriam homines ducerint, quoniam nondum fundamento nitentur satis firmo ¹.

E numeris autem supra citatis efficitur sponte, in feminis ebrietatem longe minus frequenter ad caedem sui ducere, cum fere tertiam partem omnium autocheiriarum a feminis commissam fuisse constat; in caede sui autem, quae ebrietatem causam habere videtur, occurrunt non nisi pro quarta circiter parte ². Vir eruditissimus DUPARC, in opusculo saepius laudato, permagnam adeo partem autocheiriarum Parisiis commissarum tribuit ebrietati. Si tabulas ipsas statistices criminalis Francicas inspicere ei licuisset, ipse animadvertisset justum modum ita in reprehendendo se non servasse. Magna certe est ibi in caede sui etiam ebrietatis vis, at non tanta, quanta viro illi est visa.

¹ Uti expresse testatur BARTHE, *Rapport au Roi*, 25 Oct. 1837 p. xxvii.

§ 12. *Avaritia.*

Avaritiâ nihil foedius exstare jam profitebatur CICERO, *de Legibus* ¹. Quam etiam aliena sit avaritia ab homine sapiente ostendit SALLUSTIUS ². »Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit. Ea quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effoeminat, semper infinita, insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur.» Avaritiae autem duae sunt species, quarum altera congerit ut congesta custodiantur, altera corradit ut corrasa splendide et luxuriose dissipentur. De hac rapace profusionum ministra intelligendum est, quod JUGURTHA praedixit: »Romam avaritiâ perituram ³.» Avaritia, in pecuniis semper accumulandis summum bonum ponens, efficit, ut metus sit perpetuus ne amittantur acquisita, quo fit ut congesta abscondantur. Indolem enim, cui nihil satis est, semper plura concupiscentem, et numquam sua sorte contentam, efformat. Talis enim avarus semper eget, semperque vivit congesto pauper in auro. Ipsi, aut quod non habet, aut quod habet, semper deest ⁴.

Avaritia et habendi cupido eo certe saepe hominem adiungunt, ut appetat aliena, eaque injusto etiam modo in suam possessionem transferre conetur.

Hac ratione dici posset, omne crimen, quo quis aliena bona sua reddere injuste conatur, ex avaritia gigni. An

¹ Lib. 1, c. 19: »Nullum vitium taetrius.» idem *de Officiis*, II, c. 21.

² *Catilina*, c. 11.

³ SALLUSTIUS, *Jugurtha*, c. 35.

⁴ QUINCTILIANUS, *Institut.* I, 5. Cf. ad. h. l. PESTEL, *Fundam. Jurispr. Natur.*, § 82.

ideirco furta v. c. omnia ex hoc uno fonte repetenda sunt? Non putaverim. Possunt esse et sunt revera multae aliae, quae ad furta committenda ducant, causae, supra jam magnam partem indicatae; at vero aliquando tamen revera avaritia ad crimina ducit.

Insatiabilis habendi aliena cupido, ad multas fraudes ducit et artes, quae merito in criminum numerum sunt relatae. Qui falsae monetae sunt rei, qui ex publico aerario pecuniam apud se depositam in suos usus converterunt, quive bonis aliorum, quorum administrationem curant, detrahunt, saepe non alio ducuntur momento nisi ut ipsi sic ditescant. Certe tristis est hac in re conditio, si uti in Francia anno 1844 non pauciores numero quam 142 falsae monetae, et 108 abusûs fidei fuerint rei.

Quid avaritia et habendi cupido valeant in gravioribus criminibus, uti veneficio, incendio, homicidio doloso et praemeditato tabulae statisticae francicae indicare sunt conatae, et tristia sunt quae inde cognoscuntur. Apparet nempe inde, universe habendi cupidini satis magnam tribuendam esse in causis criminum partem, quum ad annos 1826—1834 notatum fuerit, ex centum criminibus ejus modi peculiariter in tabulis Francicis indicatis, 16, 12, 10, 12, 14, 15, 17, 13, 14 avaritiae tribui oportere.

Quod sic ad veneficium attinet, anno 1835 occurrunt 28 ejus criminis rei, veneno qui interemerant eos, quibus demortuis succedere, et quorum bona ita nancisci averent, et ita quotannis hereditarum major minorve occurrit in Francia numerus. Tacemus alios, qui singulis fere annis occurrunt, de medio tollentes eos, quibus pecuniam debent, ut debito sic se liberent, et alios qui ut debitum quotannis praestandum (lijfrenten) extinguant, creditorem interficiunt.

Quam frequentia etiam commissa incendia, non alio consilio nisi ut pretium domus assecuratae dominus percipiat! Solo anno 1835 occurrunt 36 numero, anno 1841, 67, anno 1843, 65, anno 1844, 61. Sequitur aliquando incendium post furtum commissum, et quidem eo proposito, ut furti commissi vestigia deleantur, quod anno 1840 de 20 reis valebat.

Caedes voluntaria quoque haud raro, ob eandem rationem, furtum sequitur, ejus facinoris rei anno 1839 erant 25 numero; alii bonis inhiantes eorum, ad quorum successionem lege vocarentur, aut testamento se vocari scirent, trucidarunt eos, quibus mortuis hereditaria successio vel legata ad ipsos essent deferenda. Et propter eadem consilia ne ab insidiis quidem se abstinerunt, et consilio antea capto optimos etiam et probatissimos viros saepe perfide trucidatos reperimus.

Diximus ita de habendi cupidine. Avaritia autem vulgo jam usu recentiori praecipue quoque ad eum refertur, qui a sumtibus etiam necessariis se abstinere ut ditescat. Fateor, vocabuli ea non est vera et germana sententia, uti neque nostrum, *gierigheid*, proprie eum sensum habet, nam *gierig* est *begeerig*, habendi cupidus. Attamen misera illa conditio, in qua degit, qui sumtibus etiam necessariis parcit, ad mala, ad officii et juris violationes potest ducere, quae existunt inprimis ex negligentia aut imprudentia eorum, qui ex nimia illa parcimonia officio suo defuerunt, et ideo jure meritoque ad poenam damnantur. Sed hoc obiter indicasse sufficiat.

§ 13. Paupertas.

De paupertate et egestate, criminum causis, a variis scrip-

toribus varie admodum est disputatum. Universe quum iam numerus pauperum et criminum occurrit magnus, imo major esse videtur quam ante, inter paupertatem et crimen necessarium quoddam vinculum exstare est visum. Certe utrumque tribuendum, magnam partem, cum commutationi gravissimae, quam subiit industriae humanae exercitium, tum, quod hisce temporibus hujus rei major habeatur ratio, quam antea, quum etiam miseriae humanae descriptiones saepe hodie nimis augeantur ¹.

Profitebatur jam die 26 Decemb. 1790 DUPONT in *Rapport à l'Assemblée Constituante* ejusdem diei: »La source la plus ordinaire des crimes, c'est le besoin." Non ita universe paupertatem aut egestatem tanquam causas plurimorum criminum agnoscit FREGIER ². »Le vagabondage, l'esprit de débauche, l'ivrognerie, le mépris des lois, se retrouvent, surtout chez ces misérables familles, hantées par les privations, réduites à douter de la providence et poussées à l'abrutissement." Aliam denuo sententiam tuetur ENGELS ³, qui ex proletariatu et pauperismo, (vocabula jam maxime usitata) in Anglia multum auctis, repetit numerum criminum valde auctum etiam. Ex statisticis Tabulis constare, dicit scriptor ille, numerum eorum, qui ob crimina prehensi sunt, anno 1805 fuisse 4,605; anno 1810, 5,146; anno 1815, 7,898, anno 1820, 15,710; anno 1825, 15,710; anno 1830, 18,107; anno 1835, 20,735; anno 1840, 27,187; anno 1841, 27,760; anno 1842, 31,309 ⁴.

Inter paupertatem autem et crimina arctissima intercedit

¹ GERSDORF, *Répertoire*, 1846, N^o. 47, p. 315.

² *Des classes dangereuses de la population.*

³ *Die Lage der arbeitenden Klassen in England*, Leipz. 1845. Cf. *Hall. Lit. Zeitung.*, 1846, N^o. 275, p. 1045.

⁴ *Hall. Litt. Zeitung*, 1846, N^o. 275, p. 1045.

necessitudo, ita ut saepe nescias quid tamquam causa, quid tamquam effectus, considerandum sit. Ita merito de causis paupertatis et criminum nonnulli simul egerunt¹, malos mores, ebrietatem, vim affectuum, ignorantiam et alia similia, tum paupertatis, tum criminum, causas, exhibentes.

Maxima tamen pars vere pauperum constat senibus, aegrotantibus, liberis qui ea sunt aetate aut corporis sanitate, ut criminibus committendis vulgo minime sint pares. Mulieres, quae in Franciae duas tertias partes efficiunt egenorum, quartam tantum partem omnium delinquentium efficiunt.

Numerus autem criminum maximus ea aetate committitur, ubi egestas minus sentitur, et facillime evitari potest, aetate nempe 25 ad 30 annorum. Si egestas mali est filia, praecipua sequela est eorum vitiorum, quae homine indigna sunt, non autem sequela affectuum, qui eum ad vim ducant. Quod feminae in tabulis criminum contra personas occurrunt numero multo minori quam in iis criminum contra bona², non adeo tribuendum videtur majori, in qua versentur, egestati, quam quod vires saepe iis deficiant ad crimina contra personas committenda. Major pars criminum contra personas a juvenibus committitur, aestatis tempore, quando homo sane minus eget, quam hieme.

¹ *Die Quellen der Armuth und des Verbrechens*, etc. von E. R. Stuttgart 1841.

² Ex 100 criminibus contra bona feminae in Francia commiserunt 21, ex 100 criminibus contra personas, 14. «Le chiffre moins élevé de la criminalité ne tient donc pas chez les femmes à sa moralité supérieure, mais à la faiblesse de sa nature, qui lui ôte souvent le moyen, et à l'influence de sa vie sédentaire, qui éloigne plus souvent encore l'occasion de nuire.» CH. LUCAS, in *Revue Pénitentiaire*, 1846, III, 340.

Multis qui eget, sine dubio facile eo adducitur, ut bonis alterius invideat. Quid enim magis inertiam aut cupiditatem allicere potest, quam videre, se sine magna opera tranquille et in otio vivere posse, nam eo ducere videtur furtum. Saepe etiam pauperes bonis aliorum inhiant, quum non habeant honesto labore victum quaerendi facultatem. Revera etiam crimina contra bona multo frequentius committuntur ab inertibus et hieme.

Qui autem putaret multos saepe egestate ad furta adduci, maxime errat: rari enim, secundum virum amplissimum DE GÉRANDO ¹, inter reos occurrunt, qui tabulis benevolentiae publicae inscripti sunt. In criminibus contra bona, multa non sunt commissa ab egenis. Furtum ipsum multo frequentius occurrit in juvenibus quam in senibus, et in viris quam in feminis, licet hae minus facilem victum quaerendi suum habeant opportunitatem.

In multis Franciae regionibus, quae hucusque insignes sunt egestate, crimina et delicta contra personas multo rariora occurrunt, uti Aisne, des Ardennes, du Nord, de l'Oise, Gironde, Pas de Calais, caet. quum e contrario illae regiones, quae minus egestate laborant, numerum criminum contra personas exhibeant longe majorem. Inter partes Franciae, quae insignes sunt egestate, in criminibus contra bona primum locum tenent la Seine, Seine et Oise, Seine Inférieure, Pas de Calais, Rhône, caet. quum regiones, quae minus egestate laborant, et in quibus non ita crebra contra bona committuntur crimina, sint la Creuze, la Corrèze, l'Ain, caet.

Num hujus rei causa est, quod revera egeni numerum criminum maxime adaugeant? Non crederem; sed eadem

¹ De la Bienfaisance publique. Paris, 1839. Parte I, Lib. II, c. 5.

causae, quae hos ad egestatem, illos ad crimina ducunt; hi fame pereunt, illi semet ipsos ex criminum commissorum proventibus nutriunt. Eadem loca pauperes et fures alliciunt, illos ut auxilium implorent, hos ut furta committant. Inter eos idcirco fiat omnino distinctio et hanc pauperibus multis debitam laudem tribuamus, quod saepe ideo, quoniam probitatis leges violare nolint, omnibus egere malint.

Non autem idem de illis certe affirmare licet, qui aut falso se egenos profiteantur, aut multis culpa sua egeant, dum conditionem suam meliorem reddere conantur tantum precibus supplicibus et eleemosinâ rogandâ, non vero labore et industria sua. Ejusmodi pauperes jam paene constituunt numerum illum magnum mendicorum et vagabundorum, qui in artt. 269—282, *Cod. Pén.* incidunt. Tabulae statisticae de Justitiae Criminalis administratione in Francia ostendunt, haecce delicta nonnullis in locis valde crebra committi, quum alibi fere nulli ejusmodi vagabundi aut mendici inveniuntur.

Mendicorum et vagabundorum vitam ad gravia in societate civili mala, ad crimina, ducere, ex usu et experientia apparuit. Mendicus fere semper primum, paupertate atque indigentia ductus, ditiores adit, ut sibi suisque prospiciat; ubi hoc vero frustra tentavit, fit, plerumque, necessitate quasi coactus, fur, tandemque, ne poenam saepius meritam subeat, si necesse est, homicida. Ita mendicorum vita plurimorum vitiorum et criminum merito vocatur mater.

Vagabundus, liberrime vivens, nunc hic nunc illic degens, qui, unde victum trahat, significare nequit, et nullam habet certam habitandi sedem, praesumendus fere videatur non nisi ex injustis modis se sustentare posse. Non tamen meum esse censeo, statuere, num recte ipsa sola vita mendican-

tis, aut vita vagabundi, merito iure criminali Francico criminibus accenseatur.

Inter Franciæ regiones, quæ numerum vagabundorum maximum quotannis exhibent, occurrunt la Seine, Seine Inférieure, Seine et Oise, Pas de Calais, Rhône etc., quas etiam supra vidimus plurima crimina contra bona continere. Regiones porro illæ, quæ, uti la Creuse, la Corrèze, la Haute Loire, le Gers, caet. fere nullos continent vagabundos, etiam insignes sunt numero exiguo criminum contra bona, quum etiam la Creuse, l'Indre, l'Allier, caet. hoc sint insignes, quod ibi paucissimi adsint rei ob crimina contra personas.

Quod de vagabundis vidimus, etiam de mendicis statuere licet. Partes enim la Seine, Seine Inférieure, Seine et Oise, Pas de Calais, caet., quæ plurimos continent vagabundos, etiam numero mendicorum et criminum contra bona sunt insignes, quum la Seine, Seine et Oise, le Bas Rhin, caet. etiam delinquentes contra personas plurimos quotannis exhibent.

Non autem omnes mendicos atque vagabundos egenos esse, ex hoc etiam efficere licet, quod in regionibus Ain et Finistère, ubi multi eorum occurrunt, tamen numerus revera egenorum minimus est: quum saepe regiones, ubi pauci valde adsunt mendici ac vagabundi, etiam plurimos continent egenos.

Caute haec omnia in usum redigenda; vagabundi conditio enim saepe nonnullis causis tribuenda est, uti vicinis imperii finibus, magnis urbibus; major minorve existere potest numerus pro cura politiae; diverse puniuntur mendici, prouti in locis adsunt, ubi iis aperta sint receptacula, aut non; diversus ita etiam est numerus, prouti illae inquisitiones magis minusve severae sunt aut non. Hoc autem

Tabulae de Juris Criminalis administratione in Francia ostendunt, omnes reos criminum contra personas magis inveniri in iis, qui in liberali conditione versantur, quam in iis, qui nulla gaudent certa in vita sociali conditione (gens sans aveu). Hi autem magis criminum contra bona sunt rei.

Si autem paupertas mater criminum est saepe, nonne ideo illa maxime valet ad haec excusanda? Omnino, si, qui in paupertate versatur, non ipse tristis conditionis suae est auctor; minime vero, si ipse desidiâ et inertia suâ, miseriae, quae ipsum premit, existit causa. Et, si fides non est deneganda scriptoribus hujus rei peritis, longe frequentius paupertatem ejusmodi causis tribuere debemus, quae per voluntatem hominis potuissent averti¹. Vitiorum omnium mater desidia².

Saepe magna facilitas, qua pauperes accedunt ad matrimonia ineunda, eos ad egestatem et inde ad crimina ducere potest. Fundamentum autem quum sit matrimonium societatis bene ordinatae et familiae, et quum familiae de novo civitatem efforment, summa merito hujus rei habenda est cura. Sed praeclare illa matrimonii efficacia in civitate tantum ibi valet, ubi illud in se continet fundamenta promovendi boni status familiaris. Felix paterfamilias plerumque bonus est civis et tranquillus, non favens turbis aut tumultibus, sed focum, familiam, bona, regem et patriam

¹ »Ledigheid en ondeugd zijn de ware oorzaken van armoede en misdaden. De ledigheid is niet zoozeer het gevolg van gebrek aan werk, als van afkeer van den arbeid. Slechts zeer zelden worden misdaden begaan uit wezenlijk gebrek aan de noodzakelijkste middelen van levensonderhoud.» LUTTENBERG, *Over het Armoeden in ons Vaderland*. Zwolle 1841, p. 35 volg.

² »L'oisiveté, la mère de tous les vices.» CH. DEVEYRIER, *Lettres politiques*, 1843, II, p. 152.

procurans. Illa autem matrimonia, quibus desunt quae ad bonam familiam constituendam sunt necessaria, civitati quam maxime perniciosae sunt, quum conjuges non solum ipsi malis moribus esse incipiant, et internis dissidiis alienentur animi, sed etiam procreent liberos, parentum exemplo, ad mala edoctos. Plurima delicta committunt ii, qui, propter levitatem in matrimoniis contrahendis, vitae acrimoniis laborant, quibus quomodo se expediant nesciunt.

Nimis multi matrimonium contrahunt, futura non curantes, non habentes unde sibi liberisque victum quaerant. Accedunt tunc egestas et curae, potuum spirituosorum usus, denique delictum sive crimen cum ejus sequelis¹.

Certe, etsi longe absimus a sententia eorum, qui eo usque progrediuntur, ut hominibus in civitate degentibus strictum tribuant jus a civitate exigendi ut, labore praestando, victum possint quaerere (*droit au travail*) tamen sanctissimum haud dubie est civitatis officium opportunitates, quantum ejus fieri possit, praestandi civibus, quibus hi possint uti ad labore victum quaerendum. Et hoc officio qui pro viribus funguntur Imperantes, haud dubie multa mala, multa crimina avertent.

Narrat anonymus² de viro honesto, cui in platea obviam factus erat homo ignotus sub mortis comminatione pecuniam exigens; pecunia accepta, hic panem emit ac vitae necessaria, emta edulia domum portat et conjugi atque liberis, mox fame perituris, tradit exclamans: sumite, edite, quae afferro; forte pro iis vitâ factum luam. Sed honestus ille vir de injuria non querebatur: factum manebat impunitum; qui rem narrat, addit: »Cet exemple

¹ STRASS, *Ursachen der Verbrechen*, p. 13.

² Cf. GANDERHEYDEN, *Diss. laud.*, p. 43.

funeste montre encore, que de bonnes lois civiles peuvent prévenir bien des crimes. Si l'homme dont il s'agit, eut eu du travail, il n'aurait pas volé."

Fatendum est, quod fateri tamen triste valde est negotium, aliquando cives, omni opera adhibita, tamen ex labore sibi suisque necessaria consequi non posse¹. Acerrimum quod homini inditum est sui conservandi studium, (et sane vitae conservatio necessaria est conditio omnium emolumentorum atque commodorum, quae vita socialis affert), et amor in suos, naturali stimulo, hominem impellunt ad suos quoque servandos. Ita homines honestae indolis, qui legum subditos lubenter sese gererent, in egestatem detrusi, ut famem a se suisque arceant, aliquando remedium quaerunt in factis lege poenali vetitis, quae vel ipsi detestantur. Scriptor modo citatus haec affert exempla²: »Quis tenerae matri fervida cura adamatam prolem extrema exhaustam fame videnti crimini vertat, quod, ipsam a mortis limine retrahendi causa, panis frustum aut frumenti sustulerit modicum? Quis patremfamilias, eundemque maritum, dilectissimos liberos et conjugem amantissimam, quam ut suavissimam sui partem considerat alteram, dirissima egestate vexatos, imo cum morte jam luctantes, videntem criminis accusabit, quoniam vi conatus fuerit consequi illud quod precibus denegabatur licet flebilibus?"

Elegans exstat in XENOPHONTIS, *Symposio*, c. 4, disputatio, quae huc omnino videtur referenda. Convivae, dum deinceps rationem reddant rei, ob quam quisque maxime

¹ GANDERHEYDEN, *Diss. laud.*, p. 39, hoc vocat: »Civibus quibusdam ademptam aut praeceptam propriis sibi suisque laboribus prospiciendi facultatem."

² Pag. 42.

sibi placeat, CALLIAS, primus verba faciens, hoc suum esse munus profitetur, homines justiores efficere; praeclara certe res. Dum vos, inquit, de eo quid justum sit disputantes audio, ego homines justiores reddo pecuniam iis largiendo. Est qui miretur, objiciens, ita tamen animos hominum non emendari, et justitiam interno constare animi habitu, at contendit CALLIAS, se hoc efficere, et quomodo? ὅτι διὰ τὸ εἰδέναι, ὡς ἔστιν ὅτου προϊάμενοι τὰ ἐπιτήδεια ἔξουσιν, οὐκ ἐθέλουσι κακοῦργοῦντες κινδυνεύειν. » Qui habent unde necessaria emant, a delinquendo se abstinēt. » Quantum veri huic monito insit, licet illud minime universe valeat, omnium temporum experientia ostendit.

§ 14. *Vitia legum et institutorum in Civitate.*

Eo tendat necesse est civitas, ut status juris certe ac tute conservetur, sed haud raro in civitate instituta occurrunt adeo ab illo proposito aliena, ut magis ad juris eversionem tendere et allicere, quam quidem juris stabilitatem tueri, possint dici. Multa ita sunt, quae, sive directe sive indirecte, ad crimen ducunt. Supra jam dictum quoddam retulimus QUETELETI statuentis: societatem civilem ipsam haud raro ad ipsa crimina homines praeparare, quam animadversionem eorum, quae saepe fiunt in civitatibus Europae, observatio confirmat.

Exstat in J. L. E. PUTTMANNI, *Opusculis Juris Criminalis*, Lips. 1789, p. 315 sqq. Commentatio inscripta: *Leges ineptae, criminum causae*. Observat celebrer Juris Criminalis scriptor, recte omnino moneri, impedimenta etiam virtutis fomentaque et incitamenta criminum, quantum ejus fieri possit, e medio tollenda ac removenda esse, sed cavendum ita etiam quam maxime, ne leges ipsae in

civitate ineptae criminum exstent causae. Saepius observasse sibi videbatur: »legislatores interdum non modo fine sibi proposito excidere, sed ipsos etiam, nihil tale cogitantes, legislatione sua aliis delinquendi occasionem materiemque praebere ac suppeditare.» Provocat ibi ad aliorum scriptorum idem sentientium auctoritatem ¹, et porro complures excitat species legum ineptarum, qua appellatione eas comprehendit, quae fini, quo feruntur ac proponuntur, i. e. utilitati communi et reipublicae saluti, haud aptae sed potius contrariae sunt.

Vitiosas imperii et regiminis formas ad multa mala atque crimina ducere, recte jam observatum est ². Haud frustra jam veteres;

»Regis ad exemplum totus componitur orbis.»

Quo sanctius principes et magistratus ipsi jura civium venerantur atque tuentur, quo melius ipsi suis funguntur officiis, eo magis jura aliorum servabunt quoque cives, et aliis praestabunt, quae ipsi debent. Virtutes maxime praeclarae, pietas, morum integritas, sanctitas florent, in monarchia temperata, ubi certum est neminem, nisi qui revera deliquit, puniri, et ubi probi justique cives honoribus atque praemiis ornantur. Sed jura violari quotidie et crimina committi, nequaquam est mirum, ubi sub injusta dominatione omnis deficeret juris certa ratio.

Saepe vectigalium et tributorum malam distributionem paupertatis esse posse matrem, hanc autem criminis, con-

¹ HELVETIUS, *de l'Esprit*, III, c. 22. »Les vices et les vertus d'un peuple sont toujours un effet nécessaire de la législation, item RAYNAL quos scriptores tamen longius quam par est progressos esse, unusquisque videt.

² VAN ITTERSUM, *Dissert. laud.* p. 15 sqq.

tendit auctor quidam ¹, qui nuper novum vectigalium systema introduci vellet, quo homines, ratione habita bonorum, in varias distinguerentur classes: quod systema si fuerit introductum, populi conditionem meliorem reddi et crimina non amplius occurrere, futurum monet. Nostrum non est judicare, an theoria auctoris illius idonea sit, quae in usum conferatur. Valde ea de re dubitamus. Sed hoc verissimum esse censemus, perversam tributorum ordinationem, qua nimis premuntur, qui vix habent unde honeste vivant, ad paupertatem et sic ad crimina ducere, quae vel propter id ipsum aliquando committuntur, quia alia ratione se pecuniam consequi posse in aerarium conferendam desperent.

Notissimae sunt fraudes eorum, qui, ut legibus de vectigalibus se subtrahant, merces prohibitas aut quas invehere non licet, nisi gravibus vectigalibus solutis, invehunt, nullo etiam soluto vectigali (smokkelhandel, smokkelaars). Leges, quae gravibus vectigalibus premunt mercium peregrinarum invectionem, ad delictum illud committendum spe lucri invitant cives. Triste hoc saepe est opificium quasi eorum, qui, in finibus regnorum habitantes, mercibus clam retro citroque vehendis, magna lucra aliquando percipiunt. Et hoc turpe lucri studium ad vim publicam, ad caedes et latrocinia saepe ducere, historia docet. Leges nimia vectigalia a mercibus exigentes eo valent.

Sunt qui in poenis levioribus aliquando quam par est, causam quae ad delinquendum impellit, deprehendisse sibi videantur. Dicunt, in multis Europae regionibus poenas, quae non satis a delinquendo arcent, scriptas esse in delicta et inprimis in furta, et poenas carceris et ergastuli ejus-

¹ *Journ. d. Econ.* XIII, p. 324.

modi saepe usurpari, quas non reformidant delinquentes ¹. Observant, ignavos saepe demissos e carcere novi delicti fieri auctores, propterea, quod poena ad eos absterrendos haud satis valuit; quum contra experientia docuerit, eos, qui ob primum delictum efficaci poena mulctati sint, postea non aequae facile nova commisisse. Provocant, qui ita sentiunt, quoque ad legem 28 Aprilis 1832 Francicam, quae Codicem Poenalem revidit, quae stigmatis et expositionis (*carcan* dictae) poenas sustulit, multis in causis supplicium capitale abolevit, octodecim annis minores et septuaginta annos natos expositione etiam simplice liberavit. Rogant, num ea effecerit, quod ejus erat consilium, per supplicia minus acerba meliorem et certiolem reddere criminum vindictam? Numerus capitum damnatorum, qui ante annum 1832 quotannis erat 60 ad 100, post eundem annum minutus fuit adeo, ut non plures quam 25 quotannis ea poena mulctarentur. Sed ab eodem illo anno 1832, crimina contra personas multo plura exstiterunt. Erant eorum anno 1825, 2,069; anno 1826, 1,907; anno 1827, 1,911; anno 1828, 1,844; anno 1829, 1,791; anno 1830, 1,666 commissa; anno autem 1833, 2,136; 1834, 2,216; 1835, 2,463; 1836, 2,072; 1838, 2,189; 1840, 2,108; 1842, 2,236; 1844, 2,031. Inde efficiunt igitur, leviores poenas ad majorem duxisse criminum numerum.

Cauti esse debemus in admittenda conclusione vulgari, quae dicitur; *cum hoc, ergo propter hoc*. Si numerus condemnatorum ob crimen increvit, potest illud omnino etiam tribuendum esse majori diligentiae eorum, quibus crimina perseguendi munus mandat est, magistratuum, non vero uni leviori poenae, quae in crimen statuta est.

¹ STRASS, *Ueber d. Ursachen der Verbrechen*, p. 9.

Certe modus poenarum justus servandus est ut idoneae sint ad reprimendas laesiones et tamen non sint justo graviores; si poenae justo sunt leviores, prorsus sunt inefficaces, si graviores, ipsa severa supplicia homines reddunt tales, ut gravioribus etiam suppliciis opus sit ¹.

Utrunque igitur perversa poenarum instituta ad delinquendum possunt ducere, si modum excedunt. Instituta civitatis ad crimina committenda alliciunt quoque, si tamquam rationes, imputationem et poenam minuentes, admittuntur ea, quae minime eam vim habere oportuisset. Notum est quantopere systema illud, quod dicitur causarum mitigantium, proximis hisce annis in Francia fuerit extensum, et qui de eo ante paucos annos scripsit COLLARD ², hanc in praecipuis causis ingravescentis criminum numeri excitare non dubitat. Quis nescit saepissime in Francia juratos, in veredicto suo, declarare, adesse causas mitigantes, ubi quaenam et quales illae sint frustra quaeritur, imo ubi eas plane deficere recte constat.

Omnis etiam illa perversa humanitas, quae erga reos et condemnatos saepe jam in Francia ostenditur, ita ad multa mala, ad crimina frequenter committenda, et ad iteranda ea haud dubie ducit, ut multis docuit vir experientissimus MOREAU CHRISTOPHE ³. Valet hoc de multis in ipso processu criminali, valet hoc maxime de ratione, qua condemnati in carcere habentur, si, tamquam in praemium delicti commissi, felicius ibi degunt quam multi opifices extra

¹ »Mit dem Terrorismus werden die Menschen roh, und auf rohe Menschen wirken nur terroristische Mittel.« ROSSHIRT, *Entwick. d. Grunds. d. Strafrechtspflege*, 1828, p. 451. De Legibus, poenas nimis severas delictis irrogantibus, criminum causis, disseruit PUTTMANN, *Opusc. cit.* p. 350 sqq.

² COLLARD, *Du système des circonstances atténuantes*. Paris 1840.

³ *De la Réforme des Prisons*, p. 109 sqq.

carcerem probi et honesti viri ¹. Carcer iccirco damnatis semper maneat vera poena ².

Sed et ipsa instituta quae ad condemnatos puniendos inserviunt haud raro ad nova crimina eos ducunt. Communis quoque vita omnium damnatorum, qui carceribus et ergastulis inclusi servantur, est uberrimus sane cujuscunque generis criminum committendorum fons. Ubi legis auctoritate in ergastulis ii, qui maxima commiserunt crimina, in quibus perpetrandis quasi senuerint, miscentur cum minorum criminum reis, qui ex errore quasi aut ex improvise deliquerunt et moribus nondum sunt plane depravatis, ibi horum mores, quatenus boni quid iis adhuc inest, ex legis ipsius auctoritate corrumpuntur per colloquia prava et contagionem quasi eorum, qui in vita criminibus commaculata aetatem transegerunt ³. Ingens est cri-

¹ Chaque prison a... tout ce qui peut, en un mot, contribuer avec le régime intérieur de la maison à assurer au prisonnier, santé de corps, repos de l'âme, bon pain, bon lit, bons vêtements, travail constant, argent gagné, épargnes pour l'avenir. — L'honnête homme en a-t-il toujours autant? MOREAU CHRISTOPHE, *Revue Pénit.* 1846, III, p. 408.

² «La condition du bien-être physique du prisonnier doit être exactement observée, mais sans tomber dans l'excès. Le sentiment de charité et de bienfaisance envers les détenus condamnés doit être éclairé par la réflexion. La détention est une punition dont le condamné doit éprouver constamment l'effet; il doit, dans tous les moments de sa détention, en désirer la fin. La prison, où le condamné serait assez bien pour ne pas souhaiter toujours d'en sortir, serait par elle même un désordre, dans l'intérêt de la justice, dans l'intérêt social.» Le Duc DE LA ROCHEFOUCAULD, *Revue Pénit.*, 1846, III, p. 426.

³ V. ITERSUM, I. I. p. 20, et MOREAU CHRISTOPHE, *Revue Pénit.*, 1846, p. 427. «C'est qu'en effet le régime actuel de nos prisons, bien qu'immensément perfectionné et réformé depuis plusieurs années, n'est ni répressif, ni intimidant, ni moralisateur, c'est que le crime s'y recrute, s'y aliimente, s'y refait, s'y multiplie. C'est que l'homme méchant y devient pire; l'homme bon criminel; l'incrédule impie; le délinquant

minum numerus commissorum ab iis, qui e carceribus exierunt, quum eorum committendorum consilia iniverint dum in carcere una degerent. Ita qui minus corrupti sunt, in carcere, in ergastulo quum degunt, corrumpuntur ab aliis, et, qui in carcerem missi sunt, ut corrigantur, ut vocabulum fert Francicum *maison de correction* (olim apud nos dicebatur quoque *Verbeterhuis*), aut non nisi penitus corrupti, aut certe magis corrupti quam antea fuerant, in vitam socialem revertuntur¹. Quis ita dubitabit, cum viris harum rerum peritissimis, carceres et ergastula significare tamquam uberrimos criminum fontes²?

bandit; le scélérat plus pervers; le débauché plus impudique; le dépravé plus corrompu; l'apprenti malfaiteur passé maître, c'est qu'enfin tout ce que la prison peut engendrer de dégradation physique et morale. de persistance dans le mal, de vices, d'attentats, d'illégalités de toutes sortes, a son application et sa cause dans la triste signification de ces deux mots: *emprisonnement commun*."

¹ MITTERMAIER, *Die Strafgesetzgebung in ihre Entwicklung*, 1^r Beitrag, 1843, p. 79 sqq. »Der Verdorbene stecht den minder Verdorbenen an, und weit schlechter, als er eintrat, verlässt der Sträfling die Anstalt." Memorare hic lubet etiam locum ex *the Athenaeum*, 1846, N^o. 956, p. 199. »That the diseased members should yet be thrown together, not as into hospitals for moral healing, but only to corrupt each other and fester in their common rottenness is too nurse a plague in the body-social under pretence of cure. That the prison should be a *manufactory of crime* instead of a *locus poenitentiae* — into which the raging passions and rabid vices of men are thrust to gather strength by their confinement, and then again let loose upon the world, — is, in an age of highly cultivated means and sufficient resources, a reproach to the intellect of a nation. That, at this late period of time society should have made no adequate attempts to reclaim that large section of itself which in too many cases its own defective arrangements have seduced into crime, is a double reproach as at once a neglect of its duties, and a waste of its strength."

² »L'égoût, ce sont les maisons d'arrêt, les maisons de justice, les

Neque in carceribus et ergastulis improbandum solum est quod sint scholae criminum, reprehensionem etiam merentur quod saepe ita se habeant variae earum species, ut agant plane contra ipsum propositum, cui debent inservire. Certe aequum est, ut, qui gravius crimen commiserit, et ad graviolem poenam condemnatus sit, etiam graviolem subeat, sed an id revera fit? Minime. In opere suo: *de l'Etat actuel des prisons en France* vir amplissimus MOREAU CHRISTOPHE ostendit, quomodo, qui condemnati in carcere correctorio versantur, meliori utantur conditione, quam qui simpliciter criminis aut delicti rei in carcere (maison d'arrêt) servantur: quomodo porro vulgo, quo gravior est libertatis poenae gradus, ad quem quis damnatus est, eo minus eius gravitatem sensurus sit, qui eam debet subire¹. Tristis profecto illa conditio, quae poenis omnem vim et efficacitatem saepe adimit. Neque exempla desunt eorum qui, dum in carcere correctorio degunt, nova crimina commiserunt, ut ad operas publicas subeundas (*bagnes*) deferrentur².

Quod porro delinquentium e carcere demissorum nulla ulterior habetur cura, id multos ad iterum delinquendum

maisons de correction, les maisons de force, les bagnes." MOREAU CHRISTOPHE, *Revue pénitent.*, I, p. 10. Introd. et postea, 361: »Si nos prisons ne sont pas l'unique source des crimes et des récidives, elles sont au moins l'une des plus fécondes," ubi exemplis porro hoc placitum illustratur.

¹ »Le séjour des maisons de correction est préférable à celui des maisons d'arrêt: le séjour du crime plus doux que celui du délit; le séjour des bagnes préférable à tous les autres." *Revue Pénitent.*, 1846, III, 423.

² Testatur illud expresse qui domui centrali in urbe Riom praepositus est. *Revue Pénit.*, 1846, III, p. 457, ita mitis illa ergastuli conditio ducit ad repetita crimina, *ibid.*, p. 439.

excitat, ¹ non enim habent condemnati e carcere liberati (*condamnés libérés*), unde victum sibi quaerant, quum non nisi aegre aut vix eos velint adhibere, qui operariis indigent. Quid itaque illis faciendum restat, ut vitam servent? Crimen delictumve denuo committunt, ut victum habeant, et iis commodis fruuntur denuo, quae carcer praeberet solet.

Sunt, ut profitetur celeberrimus BENJAMIN CONSTANT ², in omni civitate instituta quaedam, quae, licet in se nullam mereantur vituperationem, imo vero civitati necessaria omnino sunt censenda, tamen iis, qui ex juventute et aetate minori in civilem societatem transeunt, insolita et molesta maxime accidere soleant: factitia sunt saepe, neque ex natura descendunt. Contra ejusmodi instituta peccare juvenes, quibus vitae usus et experientia desunt, nemo est qui miretur, quum, partim ex ignorantia, partim ex impetu ratione carente, in institutionum ejusmodi violationem irruant adolescentes. Ita tamen illa instituta causam dant delictis contra ea admissis, quae profecto delicta, nisi instituta illa adessent, non fuissent commissa. Ipse scriptor fatetur propterea instituta in se utilia tolli non debere, sed ad opportunitatem criminis respici debere censet in poena aestimanda facti admissi.

Debitam curam eorum qui minores sunt aetate omnino habet lex, quum tutores iis adsignet et illis, qui sibi alia de causa prospicere non possunt, curatores. Placitum hoc est universale; sed, cur tutores aut curatores vix umquam dantur iis, qui sunt inopes, aut qui vix habent unde vivant?

¹ STRASS, *Ueb. d. Ursachen d. Verbrechen*, p. 19.

² *Commentaire sur l'ouvrage de Filangieri*. Paris 1824, Parte 3, c. 13, pag. 228.

Lex scripta eos quoque spectat, attamen ad eos non refertur. Ita pueri puellaeque alterius curae non subjecti errant vagabundi et mendici, et ita incurrunt in Art. 269 *C. P.* »Le vagabondage est un délit.» Qui autem vagabundi sint ostendit Art. 270, quum sequens art. iis poenam carceris trium aut sex mensium infligit. Fateor, cura quaedam tutelariorum inesse videtur Art. 66, *C. Crim.* qui jubet, juvenes, qui delicti aut criminis fuerunt rei, si sine iudicio egisse iudicati sunt; in domum correctoriam deferri, sed, hoc nomine ea instituta venire etiam quae minime verae correctioni inserviunt sed magis etiam ad mala ducunt, supra jam animadvertimus.

Est quoque aliud vitium institutorum publicorum ab aliis notatum, quod scilicet leges criminales poenas sancientes non satis ad notitiam semper civium perlatae sint. Ita nempe honestissimi cives, optimis etiam consiliis ducti, inscii possunt in poenam incidere, quum facta committant, quae lege poenali vetita esse ignorabant¹. Duplex inde detrimentum sentitur, primum, quod ita poenis subijciantur, qui moraliter certe vix sunt culpandi, alterum, quod sic ipsi, qui vere malefici dicuntur et dolo malo aliorum jura violarunt, inde minorem ex poena irrogata contumeliam sentiant, quum poenae participes etiam fiant qui culpa vix sibi sunt conscii.

Certe civitatis est curare, ut leges scire cives possint, quae regula adeo est constans, ut probatione non videatur indigere, sed efficere, ut cives eas revera cognoscant, merito hoc dicitur civitatis vires excedere. Civium est, opportunitate, quae ipsis data est, uti ad leges recte cognoscendas, et ignorantiam juris nocere, regula est in jure recepta,

¹ A. A. GANDERHEYDEN, *Diss. de Poenis*. Gron., 1806, p. 28 sqq.

quae ad omnes illos necessario pertinet, qui ipsi in culpa versantur, quod leges quales sint non didicerint ¹.

Quodsi verum fateri velimus, rarissime eveniet, ut vera juris et legum ignorantia ad crimina ducat. Eae enim juris violationes, in quas lex poenam scribit, adeo solent esse manifestae, adeo omnibus solet factorum illorum injustitia et turpitudine intellecta esse, ut vera ejusmodi ignorantia, quae ad naturam facti pertinet, vix possit haberi. »Leges quae constringunt hominum vitas intelligi ab omnibus debent, ut universi, praescripto eorum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa serventur ².»

Sed alia sunt praeterea aliquando, quae ex societatis civilis institutis causae criminum existunt.

Observat quoque SPANGENBERG, opusc. laud. p. 46., Civitatem criminibus favere, si sinit, sine conditione unumquemque quovis loco atque tempore tantum potuum spirituosorum sibi posse comparare quantum velit. Fortasse ut industriae huic generi, ut redditibus etiam publicis faveat civitas liberrime eam facultatem concedit, sed, quamdiu ea concedetur, non dubitat, quin mala gravissima inde sentiat civitas, quum ita ebrietati faveatur, et merito dictum sit: »Eine Hauptquelle, welche die Verübung von Verbrechen veranlasst, ist der Hang zu geistigen Getränken.»

Ipsae poenae aliquando, ut in criminibus committendis pergant, homines cogunt. Poenae, infamiam irrogantes ei, qui in bonam viam reverti cupiebat, agunt contra verum puniendi propositum. Qui semel infamia notati sunt (aliquando vel et in fronte signo impresso), e societate humana quasi exulantur. Poenis perpetuis eas poenas tamquam acces-

¹ ZACHARIAE, *Wissenschaft der Gesetzgebung*. Leipz. 1806, p. 275 sqq.

² C. 9, *Cod. de Legibus*.

sorias jungi, possit admitti; eas ad poenas temporarias referri, absurdum, quum impediunt, quominus honeste victum quaerere possit, qui poenam est perpessus, quem tamen vivere et honeste vivere volunt eadem leges, quae graves poenas minantur in eos qui repetitis criminibus se commaculant. Ita lex sibi contraria.

Veteres Romani omnes adulteras etiam veneficas esse existimaverunt secundum auctorem ad HERENNII, IV, 16; et QUINCTILIANUS, *Instit. Orat.*, V, c. 31, dictum tradit MARCI CATONIS: »qui nullam adulteram non eandem esse veneficam dixit." PUTTMANNUS, autem in Diss. supra citata, p. 323, hoc tribuit Juris Romani placito, quo lenocinii poena refertur ad maritum, »qui deprehensam uxorem in adulterio retinuit, adulterumque dimisit¹; quum etiam uxor scit," ita pergit, »ne marito quidem licere sibi ignoscere, omnia facile experietur, et vel venenum marito miscebit, quo scelus scelere tegat, et infamiae se subtrahat." Causa idcirco veneficiorum illorum, ita PUTTMANNUS, est, quod marito nefas quidem sit uxori ignoscere.

Si afferri videmus v. c. magnum numerum condemnationum ob bigamiae crimen pronunciarum in Francia, post abolitum locum de divortiis in Codice Civili, quis dubitabit affirmare, multos eorum hominum condemnatos non fuisse et divortio impetrato ad novas legitimas nuptias transiisse, et tamquam honestos cives vixisse, si legitime iis divertere licuisset, qui jam in ergastulis infames degere coguntur².

¹ fr. 29, pr. D. ad Leg. Jul. de adult., quam aliter JUSTINIANUS Imperator in Nov. 134, c. 10.

² Ex negata divertendi facultate alia etiam crimina ducit PUTTMANN, Opusc. I. p. 346 sq., qui monitum eo refert, »saepe difficultates divortiorum criminaumque multiplicationem pari passu ambulare."

In Francia quoque frequentes satis solent esse condemnationes propter usuras sumtas majores, quam lex stipulari permittit, quae profecto pronunciari non potuissent, si germana Oeconomia politicae placita in leges Francorum fuissent recepta¹.

Si in regione quadam multi nascuntur liberi naturales, si delicta contra mores et castitatem frequentia alicubi existunt, haud raro idtribuendum esse institutis civilibus, matrimonii ineundi facultatem coarctantibus vel adimentibus, merito fuit observatum.

Quam saepe quoque perversae leges poenis vindicarunt facta poenis minime subjienda, opiniones de religione et cultu divino, unde haereseos crimen, quin facta etiam, quae committi non posse docuit humanitatis progressus, uti magiae crimen! Profecto vitia erant legum et institutorum civitatis, quae fictis illis criminibus darent locum².

Multa sunt, quae in codice criminali poenis subjiuntur, sed, uti saepe deficit criminis vindicta, propter deficientem aut imperfectam persecutionem, ita alio tempore instituta civitatis deficiunt, quae justis etiam poenis prava facinora subjiunt. Impunitas, quae inde existit, ad delinquendum quin alliciat, dubium non est. Vera itaque sunt haec verba viri gravissimi MOREAU CHRISTOPHE³. »Un Code Pénal n'est qu'un coupon, qu'un feuillet détaché du grand livre souche de la comptabilité morale d'un peuple. Le nôtre ne contient qu'un petit nombre de valeurs courantes; le surplus reste au talon.» — Ita defectus legum poenaliū efficere potest ut impune committantur aliquando delicta.

¹ CH. LUCAS, *Du Système pénal*, etc. Introd. p. XXI.

² PUTTMANN, *Op. Jur. crim. cit.* p. 334 sq. Cf. p. 342 sq.

³ *Réforme des Prisons*, p. 140.

§ 15. *Causas criminum indagare difficile.*

De juris puniendi fundamentis disputatum jam est per saecula adeo, et disputabitur verosimiliter diu etiam in posterum. Opuscula, quibus de ea parte philosophiae juris criminalis agitur, et numero et amplitudine hodieque increscunt. Et in multis manet sub iudice lis. Sed si ea certo stabilire haud est facile, certe difficilius est etiam, veram moralem et politicam conditionem populi investigare, ut inde efficiatur, quaenam causae et opportunitates ad crimina committenda ducere soleant ¹.

Ad causas illas rite investigandas certe opus est accurato anthropologiae studio, opus est cognitione historiae humanitatis, indicetur, quos progressus cultus et humanitas fecerint inter populos, opus est ut mores, indoles, instituta, recte teneantur.

Quam difficilis sit inquisitio de conditione morali populorum, ex delictorum varietate efficienda, ostendit v. CL. MITTERMAIER ². Etiam si de uno populo ageretur quaestio, nobis haec se offert difficultas, quod plerumque numerus omnis

¹ Egregie hac de re pronunciat vir doct VARRENTAPP, in *Jahrb. d. Gefängnissskunde*, II, p. 208. »Bei weitem schwieriger noch wird aber die klare Erkenntniß der religiösen und moralischen, der industriellen und Cultur-Zustände eines Landes und der einzelnen Bewohner desselben sein, welche und in wie weit sie auf die Erzeugung und Zunahme der Vergehen überhaupt und einzelner Arten insbesondere einwirken; und sollten selbst die Ursachen so trauriger Thatsachen auf das klarste vor uns liegen, so zeigt nur die nun folgende Aufgabe, der Versuch zur Abhülfe, in immer höherem Grade Schwierigkeiten der ernstesten Art.»

² In *neues Archiv d. Crim.* 1847, p. 334, quoniam QUETELETI opus de *la Théorie des Probabilités* ad examen revocaret.

delictorum non sit cognitus. Si duas inter se regiones comparare velimus, accurate cognovisse oportet etiam criminalia judicia, quomodo sint constituta, et quam efficax ibi sit criminum persecutio.

Saepius observatum est, causas diversas criminum ita infinitas esse et saepe concurrere, ut, quid huic, quid illi causae tribuendum sit, vix effici possit, et ita vulgo quidem in momentis criminum investigandis errari¹. Sic censet CARMIGNANI, parvam tantum fore statistices in re criminali utilitatem, quia ex ea cognosci satis certo numquam poterunt »le cause, le circostanse per se medesime indefinibili” quae ad crimina ducunt et hanc ipsam tamen habendam esse summam utilitatem, ad quam statistices in iis negotiis cognitio debeat tendere².

Modo dicturi sumus de sententia illa, quam apud veteres jam CICERO, apud recentiores MONTESQUIVIUS, BECCARIA, etc. tuiti sunt, de reis in suo vitio plectendis. Probat quidem regulam etiam SERVINUS³ at censet tamen, eam raro adhiberi posse, quum multorum delictorum fons non semper accurate investigari et cognosci possit, v. c. quod ex libidine existit nonnunquam, id ipsum ex avaritia etiam proficisci potest, aliquando ex duabus vel pluribus etiam causis delicta existunt, et difficile ita erit statuere, qualem voluptatem delicto sibi comparare studuerit agens. Ita et alius scriptor Germanicus, universe postquam eadem monuit⁴, observat, de homicidio in specie tam diversam esse posse facti

¹ *Bibl. Univ. d. Genève*, Jan. 1832. *Litterat.*, p. 47. Cf. *Revue Britann.* Mars 1834, p. 157 sq.

² CARMIGNANI, *Sicurezza sociale*, III, p. 130 sq.

³ SERVIN, *De la Législ. Crim.* I, c. 2, Sect. 1, § 4.

⁴ GMELIN, *Grundsätze d. Gesetzgebung über Verbrechen u. Strafen*, § 21.

naturam, ut difficile sit in antecessum statuere, quo animo fuerit affectus, qui id commisit.

Affert DE PASTORET¹ sententiam Itali cujusdam scriptoris PAGANO, qui animadvertit, causas et errores appetituum et affectuum nostrorum, momenta actionum saepe tam esse varia et tam levia haberi ratione gravissimorum, quae nonnumquam inde oriuntur, malorum, ut vix credi possit. Saepe, ut censet, momenta illa adeo sunt abscondita, ut ne vel peritissimus hominum humanarumque actionum aestimator ea investigare recte possit, quod etiam vidit EURIPIDES, cum in Tragoedia *Medea* haec exclamet: »O JUPITER! Dedisti sane certa documenta, quibus aurum falsum a vero possumus discernere, sed, qua ratione hominem improbum distinguamus a probo, in ejus corpore nullum certum indicium aut signum impressisti.»

Sunt crimina nonnulla, fateor, quorum causa movens non satis recte indicari possit, uti autocheiriae; hujus enim causam non nisi suspicari licet, quoties certa documenta aliunde desunt, quum illi, ex quibus cognosci causa potuisset, jam vita sint defuncti neque amplius possint interrogari. Ita de crimine infanticidii monet RAPET², vix constare de vera ejus causa, quam nonnulli tribuunt pudoris sensui, dum; alii contra alias longe causas ad id ducere censent.

¹ DE PASTORET, *Des Lois Pénales*, III, c. 6 (*Vers. Germ. ERHARDI*, II, p. 159).

² *Journal des Econom.*, XIII, p. 55. »La cause première des infanticides est encore enveloppée de mystère. Quelques-uns n'attribuent ce crime, qu'au sentiment de la honte; d'autres, au contraire, pensent que d'autres causes y poussent encore plus que la crainte du déshonneur. On pense que la dureté du coeur, l'amour de l'indigence, la facilité du crime, la misère, et plus que tout cela peut-être l'état de délire ou de fièvre, qui suit l'accouchement, y poussent également, etc.»

Alii¹ denuo dicunt: de causis criminum disputari minime potest, contendentes, cultum intellectus in majorem vel minorem numerum criminum adversus personas et in eadem sui nihil efficere. Contendunt etiam prosperitatem populi eo non valere². Animadvertere tamen licet, eum, qui ita contendat, nihil valere aut institutionem populi aut conditionem socialem hominum ad criminum numerum sive minuendum sive augendum, sibi ipsi contrarium fuisse, quum postea moneret, educationis et institutionis effectus in populo multum omnino valere eo posse, et diceret ipse his verbis p. 147: »Der materiellen Noth oder dem Wohlstand, muss wohl einiges Antheil an Mehrung oder Minderung selbst der schweren Verbrechen zuzuschreiben seyn.»

Et sic quidem opinor, licet non semper facile sit negotium vera actionum humanarum momenta perspicere, tamen disquisitionem illam non ita se habere ut desperandum plane sit de ejus probabili successu. Sint qui simulent falsa momenta, ars tamen illa simulandi sua propria habet, quibus dignoscatur, se ipsam saepe prodit³, sic vana saepe est simulatio et veritas elucescit iis, qui, accurato humanae naturae studio et usu et experientia edocti ipsi, serio in haec omnia inquirunt. Ita ut in hac investigatione summa opera in posterum quoque collocetur valde est sperandum.

§ 16. *De Regula: in suo vitio quisque plectatur.*

Vetus jam est praeceptum, et quidem CICERONIS⁴:

¹ *Denkwürdigkeiten der Medic. Statistik von J. L. CASPER*, Berlin 1846.

² *Op. cit.* p. 152.

³ *Menschenkunde*, II, p. 380 Anhang.

⁴ *De Legg.* III, c. 20. Hoc CICERONIS placitum adhibet quoque FI-

»Noxiae poena par esto, ut in suo vitio quisque plectatur; avaritia mulctâ, vis capite, honoris cupiditas ignominia sanciatur.»

His vocabulis absurda tribui possit sententia, si ita acciperentur ut, veluti talionis quodam jure, idem malum esset inferendum laedenti quod ipse laeso intulerat. Hoc non est quod CICERO significat. In unoquoque homine spectandum esse censet vitium, quo ad crimen committendum fuerit adductus; ut laedenti malum quoddam poenae inferatur, quod inserviat ad reprimendum illud vitium, ad frenandum illum stimulum, qui ad delinquendum adduxit ¹. Qui avaritia ductus bona aliorum concupivit, is in bonis ipse suis plectatur, qui ex honoris cupidine per ambitum ad honores et magistratus pervenire est conatus, ab omni magistratu obeundo arceatur, et sic porro. Haec sententia, quoties per rei et facti naturam in usum potest conferri, valde commendari meretur, quum stimulus, qui ad delinquendum incitat, optime retundi potest per malum stimulo illi contrarium et sic melius saepe quam per severissima etiam supplicia crimina poterunt averti ².

Multum certe refert ut arctum esse appareat omnibus vinculum inter crimen commissum et poenam irrogandam, et, quo magis naturale esse patebit illud vinculum, eo efficacius poena in animos universorum, in animum quoque

LANGIERI, *Sc. d. l. Législ.* IV, p. p. 80 sqq., quum v. c. statuat iurium politicorum exercitio privandum esse qui iis fuit abusus.

¹ KLEINSCBRODT, *Grundbegriffe*, etc. II, § 21.

² »So lange der Hang zum Verbrechen bey dem Missethäter nicht getodtet worden ist, eben so lange wird auch die härteste Strafandrohung, zur Vorbeugung von Verbrechen, unzureichend seyn müssen.» *Ueb. d. sittl. und bürgerl. Besserung der Verbrecher* von L. SPANGENBERG, Landshut, 1821, p. 35.

ipsius delinquentis vim exercebit suam. Conari debent legislatores, ut homines poenam et crimen simul ante oculos habeant et una cogitatione amplectantur; eo maxime valebit analogia inter poenam et delictum commissum. Ita natura poenae conveniat, quantum ejus fieri potest, cum ipsa natura criminis. Poena ducat, uti BECCARIA recte monet, ad effectum quemdam contrarium ejus quem spectabat delinquendo is, qui jam est puniendus ¹.

Et haec sententia communiter jam, et merito recepta est apud viros doctos, qui juris puniendi principia et politicam tractant. Celebre est MONTESQUIVI dictum: »ita optime libertati omnium consuli, si leges criminales singulas poenas hauriunt ex peculiari criminum natura ². Sic etiam censet, optime averti omne hominis in poenis sancendis et infligendis arbitrium, quum poena ita non a lubitu legislatoris pendeat, sed ex rei natura ipsa sequatur, neque homo ita vim inferre videatur homini, sed unusquisque ita sibi suae poenae habendus sit auctor.

Statuit quoque FILANGIERI ³, legislatorem curare debere,

¹ »Que la peine soit, autant qu'il se peut, analogue et relative à la nature du délit, c'est à dire, qu'il faut que la peine conduise l'esprit à un but contraire à celui, vers lequel il était porté par l'idée séduisante des avantages qu'il se promettait." BECCARIA, *des délits et des peines*, c. 19. Minus tamen eam sententiam probavit J. DE CASTILLON, *Discours sur l'inégalité*. Amst. 1756, p. 196: »Je soupçonne les philosophes, qui ont trouvé de la convenance entre le crime et le châtement, de s'être payés d'un mot vague."

² MONTESQUIEU, *Esprit des Loix*, XII, c. 4: »C'est le triomphe de la liberté, si les lois criminelles tirent chaque peine de la nature particulière des crimes."

³ FILANGIERI, *Science de la Législation*, IV, c. 10, p. 80. Cf. id. p. 58 sq.: »On ne doit prononcer des peines pécuniaires que contre les crimes, qui naissent directement de l'avidité de l'argent."

ut idem ille affectus, qui hominem excitat ad crimen committendum, eum quoque excitet ad legi obtemperandum, quae poenam minatur in crimen admissum, ita ut abusus commodorum, quae vita civilis praestat, eorum privatione puniatur. Similiter RENAZZI¹ criminum varia genera notat et poenas iis assimilandas. Sacrilegi, inquit, juribus mulctantur, quae a religionis veneratione et obsequio proficiscuntur. Delictorum, quae bonis moribus adversantur, auctores aliorum contemptum experiantur, infamiae poenâ notentur. Qui publicam tranquillitatem turbant, e civitate ejiciantur, aut libertate priventur, qua abusi sunt ad aliorum libertati vim inferendam, et sic porro.

PUTTMANNUS quoque observat² poenas, stimulo delinquendi non oppositas, non sufficere solere ad crimina arcenda, nec libidinosus deterrebitur mulctâ, nec avarus poenis corporalibus; tres praecipuos memorat delictorum fontes, avaritiam, libidinem, immoderatam ambitionem; jam ita contendit: »equidem poenas ita temperandas censeo, ut delicta, ex avaritia quae proveniant, mulctâ, quae contra ex libidine, corporis afflictione, et quae denique ex immoderata ambitione ortum trahant, ignomiâ, aut, si opus est, etiam infamiâ puniantur.»

Alius Germaniae Jurisconsultus SODEN³ omnino vult poenam etiam sumendam esse convenienter naturae delicti; qui fur v. c. ex pigritia et inertia aliorum bona rapuit, cogatur ut operas praestet laboriosissimas, pro quibus praestitis tamen exiguum quoddam emolumentum assequatur, ut de laboris utilitate ei sit persuasum. Ita delictum, cujus in-

¹ RENAZZI, *Elementa Juris Crimin.*, II, c. 4, § 17.

² PUTTMANN, in *Advers. Jur. Universi*, c. 2, de reis suo in vicio peccantibus.

³ SODEN, *Geist der peinlichen Gesetzgebung*, § 41.

signis est turpitude et summum dedecus, poenâ ignominiosâ est coërcendum, etc.

Ex recentioribus quoque scriptoribus BAUER¹ omnino probat ut poena sanciat, quae affectum reprimat, qui delicti fuit causa et fons; ita delicta ex pigritia orta operibus publicis punienda censet.

Doctrinae moralis scriptores non alia monent, quam Jurisconsulti et politici viri, quum poenas eo melius se habere pronuntient, quo magis vim suam exercent in ipsa illa, quae ad crimina committenda duxerint, quorum scilicet efficaciam frenare conentur². Fatentur iidem, hominis non esse, in altero homine, qui ad crimen committendum tristi sorte adduci se est passus, vindictam exercere, qua malum malo rependeretur, attamen monent, eo minorem fore metum, ne poena justo gravior in delinquentem irrogetur, quo magis malum poenae simile est ei malo quod ipse laeso intulit³.

Recte etiam in Anglia de toto hoc argumento disseruit JAMES MILL, in supplemento ad Encyclopaediam Britannicam art. *Jurisprudence*; postquam scilicet varia poenarum genera distinxit, denique observat, ita proposito optime posse respondere poenam, quando vel bono, quod duxit ad actionem injustam, quantum ejus fieri possit, delinquens privetur, vel certe destituatur commodo quod ex delicto suo speraverat⁴. Qua in sententia haud dubie ante oculos

¹ BAUER., *Warnungstheorie*, § 53, p. 276, 278.

² »Die Strafen sind um so besser, je mehr sie auf die Gründe der Vergehungen wirken, um diese, so weit es nöthig ist, zu schwächen.« FEDER, *vom Menschlichen Willen*, IV, p. 103.

³ BOUTERWECK, *Lehrb. d. philos. Wissenschaften; Naturrecht*, p. 50.

⁴ Locum sic exhibet LIVINGSTON, *Rapport fait sur le Code Pénal à la Louisiane*, par M. LIVINGSTON, Paris 1825, p. 210: »que le bien parti-

habuit civem suum, celebrem philosophum BENTHAMUM¹, similitudinem inter malum criminis et malum poedae minime negligendum esse animadvertentem. Animi, ita disputat, commotiones et affectus exquirendi sunt, qui delicto dederunt originem et causam, et inde plerumque ipsa maleficii poena potest repeti. Itaque delicta ex cupiditate profecta mulctâ plectenda sunt, si facultates delinquentis hoc poenae genus admittunt. Quae ex insolentia et superbia oriuntur, contemptum aliorum experiantur; quibus pigritia dedit occasionem, ea labore vel otio coacto reprimenda sunt, et sic porro.

Egregie autem totius hujus doctrinae rationes exposuit KLEINSCHROD.² Certe, ita disputat, si poena id continet, quod cupiditati, quae ad delinquendum duxit, plane est contrarium, ille qui ad delinquendum caeterum se adduci pateretur, optime a delinquendo absterrebitur, si nempe secum reputat, cupiditatem, quae eum ad delinquendum adducit, malum ipsi esse allaturum plane contrarium appetitui quo ipse duceretur. Fatetur tamen idem, et merito, non semper ea placita in usum conferri posse et hoc idem recte monuerunt alii³, qui animadverterunt: Eadem delicta aliquando ex diversissimis oriuntur fontibus; quomodo diversas in ea poenas poterunt scribere leges, quas generaliter statuere necesse est? Judicis certe arbitrio ea res relinqui non potest, attamen, quoties principii traditi

culier, qui a servi de motif à l'acte injurieux, soit enlevé dans tous les cas où il est possible, et la jouissance, qu'on en attendait, empêchée."

¹ BENTHAM, *Traité de Législation Civ. et pén.*, II, parte, 3, c. 6, 4^o.

² KLEINSCHROD., *Grundbegriffe und Grundwahrheiten des penal. Rechts*, II, § 21 sqq.

³ Eximie sic D. J. TRUP, *Diss. de similitudine inter delicta eorumque poenar.* etc. Groning. 1834, inprimis, p. 106 sqq.

aliquis possit esse usus, tunc minime esse negligendum illud ex dictis videtur sequi.

Quamdiu moralis in puniendis delinquentibus ratio parum curabatur, omnes delinquentes, qui idem delictum commiserant, etiam unâ eâdemque poenâ censebantur coercendi. Ita, qui e diversissimis causis et momentis ad delinquendum adducti erant, idem poenae genus debebant subire, ac si crimen commissum poenâ esset afficiendum idem eâdem, et non potius puniendus sit delinquens, qui, quum varius maxime sit, variis etiam modis optime poterit in rectam viam reduci ¹. Ita varia omnino adhibenda sunt remedia, ut in delinquente corrigatur id vitium, quo ad delinquendum fuit adductus ². Neque ulla certe videtur haberi poena, quae rectius variis eiusmodi propositis adsequendis potest inservire quam poena libertatis, quae varias maxime formas induere potest.

§ 17. *Conclusio.*

Si legislatoris et Imperantis munus in eo etiam versari merito dicitur, ut malis, quae societatem civilem afficiunt, medelam afferat, profecto est Imperantis, naturam hominis indagare, et in vitiorum et criminum causas inquirere, ut remedia, vitiis illis et criminibus opponenda, cognoscantur. — Et sic quidem haud facile erroris convinci poterit, qui contendat: »remedia, quibus curari debent vitia hu-

¹ SPANGENBERG, *Opusc. laud.* p. 89 sq.: »Gegen Allen dieselbe Strafe zuzufügen ist eine Art roher Empirismus der Gesetzgebung.»

² *Ibid.* p. 91: »Ist der Verbrecher *unwissend*, so müssen wir ihn *unterrichten*; ist er *verstockt und hochfahrend*, so müssen wir ihn *demüthigen*; ist er *gleichgültig*, so müssen wir ihn *erregen und aufreizen*; ist er *zerknirscht*, so müssen wir ihn *erheben und aufrichten*.»

mana, sumenda esse ex ipsa vitiorum natura, et ex iis quae plerumque vitiis causam dare solent¹." Animi motus opprimendi sunt atque moderandi, qui ad delinquendum ducunt, et delictis vitiisque, quae nihil aliud sunt nisi effectus status hominis depravati, opponenda sunt impedimenta, ne in ruinam totius societatis vertantur depravatae illae hominum cupiditates. Uti medicus, in curandis doloribus corporis humani, non solum illos avertere conatur, sed maxime in causam mali inquirat, ut, huic medendo, corpori humano reddat sanitatem, ita etiam imperans, non solum puniendo malo commisso, providere debet tranquillitati publicae, sed etiam, ut bonus medicus, providere debet, ne eadem causa porro aliquem ad delictum crimineve committendum incitet. Hoc consilio omnia, quae morali civitatis valetudini conservandae imo vero omni quoque ratione augendae inserviunt, suppeditat imperans; contra vero, omnia ea, quae reverentiam legibus debitam civium animis possunt eximere, removet et arcet, potius avertens mala futura, quam praeterita vindicans. De naturâ poenae ad factum referendae ad § praec. fusius egimus; quomodo autem, si in vitio suo quisque plectatur, in eo ipso habeantur remedia, ad causas illas varias, quae ad crimina ducant, coercendas et exstinguendas, jam videbimus.

»*Res bona est non exstirpare sceleratos, sed scelera;* monebat jam P. SYRUS. Non sufficit scelera punire, ea praevinire quoque necesse est². Justitiam praeventivam ita multi laudant neque immerito. Mala enim futura arceri longe praestat civitati, quam admissa vindicari. Jam duo

¹ VAN ITTERSUM, Diss. cit. p. 31.

² MONTESQUIEU, *Esprit des Loix*, VI, c. 9. »Un bon législateur s'attachera moins à punir les crimes, qu'à les prévenir.

praecipua hac in causa tenenda esse merito observatum est, cum, arcere momenta, quae ad crimen committendum ducunt, tum, efficere, ut de iis, quae agenda sint aut omit-tenda, civibus certo sit persuasum." C'est le premier prin-cipe de la justice de prévoyance, principe commun au monde physique, comme au monde moral „*qu'en éloignant de la cause l'occasion d'agir, on prévient l'action*"¹. Hoc quomodo in singulis fiat, jam investigandum.

Summo jure omnes de doctrina virtutis scriptores nos monent, ut, Socraticum sequentes dictum: *nosce te ipsum*, ad nos ipsos cognoscendos, quantum ejus fieri possit, pri-mum serio tendamus. Ita in nobismet ipsis indagandi sunt appetitus, cupiditates, affectus, qui aliquando a recto tra-mite nos abducunt, ita indagandae sunt causae morborum illorum moralium, qui nos ad malefacta vel et ad crimina ducunt. Sed alios spectemus quoque, ut ex eorum exem-plo discamus ipsi. Tristem sortem contemplemur illorum qui, cupiditatibus et affectibus quum injuria indulserint, ad tristia ducti sunt facinora, quae justae vindictae publi-cae eos exposuerunt. Discamus exemplo aliorum nobis ca-vere ab iis omnibus, quae alios ad mala quaevis, ad cri-mina quoque, duxisse nobis apparebit. Et utilissima sic nobis erit causarum et opportunitatum, quae criminibus ab aliis commissis locum dederunt, sedula investigatio².

Uti varii scriptores varie de causis criminum disputave-

¹ CH. LUGAS, *Du système pénal*, Introd. p. xxvii. Cf. p. xx; »la jus-tice de prévoyance repose sur deux principes fondamentaux: 1, écarter de la liberté les motifs qui la provoquent à mal faire; 2, l'éclairer pour résister aux motifs provocateurs."

² W. V. VAN HAMELSVELD, l. c. c. l. »De voorstelling van de over-treding der wet leert, *ter onzer verbetering*, ons de voornaame bronnen van misdaden kennen."

runt, ita etiam diversae exstant sententiae de eorum remediis. BRISSOT DE WARVILLE, in commentatione de hoc argumento supra indicata, remedia criminum reperire sibi videtur in regimine recte constituto, in emendatione morum, in reformanda educatione juventutis, in promovendis artibus doctrinis et recte ordinanda disciplina aedilitia sive politiæ, in variis aliis institutis publicis recte adornandis ¹.

Contenderunt alii, instituta nostra, quae in conditione, qua vivimus, civili, ad crimen homines allicere possint, tollenda esse. Sed quomodo haec intelligenda? An, ut furta omnia arceantur, rerum dominium tollendum est? An, ut falsi in mercatura aut industria admissi opportunitas dematur, omnis arcenda mercatura atque industria? Profecto erant versus finem praecedentis saeculi, qui, dominio rerum sublato, ingenti malorum serie liberatum iri genus humanum profiterentur, quum furtorum et fraudum, quibus res alterius quis appetit, sic omnis causa haberetur sublata ², et sunt hodieque qui rerum dominia aggrediuntur Socialistæ et Communistæ. Sed omnes illi non vident, remedium, quod proponunt, eversionem nempe ordinis socialis, longe pejus fore ipso malo, quod tollere cupiunt. Neque quis

¹ Bonté du Gouvernement. — Améliorer les mœurs. — Réforme de l'éducation nationale. — Encourager, honorer les lettres et les arts. — Exstirper la mendicité. — Maréchaussées. — Police. — Différens établissemens à élever.

² »Otez la propriété, je le repète sans cesse, vous anéantissez à jamais mille accidens, qui conduisent l'homme à des extrémités désespérantes. Je dis que, délivré de ce tyran, il est impossible que l'homme se porte à des forfaits, qu'il soit voleur, assassin, conquérant." Ita BIDEROT ap. SCHOTT, *Diss. Jur. Nat.* I, p. 373, ita ROUSSEAU, *Discours sur l'inégalité*, etc.

prudens sane prosperitatis publicae fontes et industriam repudiabit, quia eorum opportunitate aliquando maleficia admittuntur, quum satis sciat, sublata prosperitate, alia, eaque graviora, exstitura esse mala, quam quae nunc arceda videntur ¹.

Alii aliud monent. Erant, qui putarent praecedenti saeculo male agere rempublicam, quae malefacta tantum poenis coërcet, et non pariter praemiis virtutem remunerat; in hac virtutis remuneratione praecipuum sibi reperire visi criminum avertendorum remedium ². Certe est vinculum quoddam inter poenas et remunerationes; scribebat BENTHAMUS *des peines et des recompenses*, certe, refert ut civitas efficiat, quantum potest, ut proborum intersit, virtutem colere magis quam delinquere ³; sed praemia virtutis juste decernere id excedere fere videtur imperantis potestatem. In virtutis actionibus judicandis saepe adeo interna momenta sunt spectanda, adeo in intimos mentis recessus penetrari oporteret, ut illud vires egrederetur hominis. Quae Deo soli judicanda sunt relinquenda, de iis homo statuere justo nequit.

Vidimus § 6, quam crebra adsit ignorantia criminis causa, quapropter *Educationem* procuret necesse est, qui illam criminum causam avertere velit.

¹ Commendaverat CH. LUCAS, *Du système pénal*, Intrôd. p. xxvii, illud quod ad crimen duxit tolli, sed addit: «Mais on sent que ce moyen a ses limites et ses règles, et qu'assurément je ne conseillerai pas de fermer nos ateliers et nos ports, et d'étouffer tout mouvement industriel et commercial pour nous ramener, comme l'a si bien dit M. ROYER-COLLARD, à l'heureuse innocence des brutes.»

² Ita PASTORET, *Lois pénales*, I, 17: «Voulez vous prévenir les crimes, créez un grand intérêt à être bon et sage, n'en laissez aucun à aimer le vice et de lui céder; donnez moins d'avantage à l'avidité,» etc.

³ «Mettre la vertu au concours, est le plus sûr moyen pour prévenir les crimes.» *Bibl. Philos.*, V, 336.

CU. LUCAS quum, ut supra vidimus, praecipuos criminum duos agnosceret fontes, ignorantiam et egestatem, duo etiam commendat praecipua ad fontes illos reprimendos remedia, institutionem ad cultum et humanitatem, et prosperitatem populorum ¹. Agit scriptor hicce, vol. 2 operis sui majoris, de educatione procuranda, ut ad recte et moraliter vivendum, ad industriam exercendam, ad laboris praestandi consuetudinem homo adducatur, ut affectus et appetitus suos regere discat, et vitam degere moralis doctrinae praeceptis congruam ².

Institutionem promovendam esse monuit in Britannia Lord ASHLEY, ut delinquentes corrigantur, simul autem contendit, institutionem centum puerorum sumtus requirere minores, quam victum unius delinquentis.

Educatione civium animi imbuantur morum, religionis justitiaeque praeceptis, et simul injustitiae impietatisque semina ex eorum animis evellantur. Decet, ut ISOCRATES docet in *Areopagitico*, prudentes magistratus, non porticus implere legibus, sed efficere, ut insitum animis justitiae studium

¹ *Du Système Pénal*, etc. Introd. p. XXI, quaerit primum: «Il faut savoir s'il est vrai de dire que l'aisance et l'instruction soient pour la justice de prévoyance le levier d'Archimède avec lequel elle puisse remuer le globe, et changer la face du monde,» et p. XXXIV ex dictis conclusionem petit, «qu'avec la civilisation, qui répand l'aisance et les lumières, nos personnes sont mieux en sureté, et nos propriétés même;» observat nempe, magnum numerum criminum contra bona in populo culto tantum exsistere ex majori frequentia opportunitatum, quae ad crimina committenda ibi ducunt.

² CU. LUCAS agit ita Tit. 2: des principes et des moyens de l'éducation pénitentiaire, — de l'éducation des besoins, ou des habitudes régulières, sanitaires, sobres, laborieuses et économiques, de l'éducation des passions, ou des habitudes morales et religieuses, de l'éducation individuelle, etc.

habeant cives; non enim leges aut plebiscita, sed praeclara instituta felicem efficiunt civitatem, cum homines male instituti leges etiam exquisitissimas negligere audeant, hique demum, qui recte et constanter educati sunt, bonis legibus velint obtemperare. Gravia sunt hac in re parentum officia, qui suo quoque exemplo teneros juvenum animos ad sensus generosos flectant. »Magna dos, parentum virtus;» jam canebat HORATIUS. Sed eidem educationis officio satisfaciant quoque in scholis magistri et praeceptores.

Scholis porro intersint et beneficio educationis fruantur quoque illi, minervalia qui solvere nequeant, et eo incumbant scholarum magistri ut juventutem bene doceant; civitas autem videns, quam grave sit scholarum magistri munus, eorum conditioni ita prospiciat, ut reditus iis sufficiat ad vitam bene degendam. Magistri non solum verbis, verum exemplo etiam suo, juventutem ad bene vivendum incitent, memores dicti FREDERICI MAGNI, regis Borussici ¹: »Les premiers exemples font une impression si forte sur la jeunesse, qu'ils déterminent souvent invariablement son caractère.» Quid efficere possint mali ab initio inde mores, qui in turpius quotidie mutantur, pulcherrime indicavit OVIDIUS ².

»Principiis obsta, sero medicina paratur
 Cum mala per longas invaluere moras,
 Quae praebet latas arbor spatiantibus umbras
 Quo posita est primum tempore virga fuit.
 Tunc poterat manibus summa tellure evelli,
 Nunc stat in immensum viribus aucta suis.»

Consuetudinis vim in liberos jam vidit PLATO, cum diceret:

¹ *Oper.* II, 295.

² *De Remediis Amoris*, vs. 92.

quam maxime interest, juventutem, si bene eam docere velis, mature discere *bonis rebus* studere.

Ad juventutem autem educandam, praeter scribendi legendique artes et vulgaria reliqua, alia sunt quae attendant scholarum magistri. Ignorantia officiorum quum maxima causa sit morum corruptelae, promovenda praesertim est institutio moralis et religiosa, et avertenda omnia ea quae ejus vi et efficaciae nocere possint. Multum etiam valere educationem moralem, non solum ad crimina sed etiam ad paupertatem amovendam monuit MARBEAU ¹.

Fuerunt alii, (uti quum ante aliquot annos institueretur disquisitio de eo, num leges et instituta Francica in provinciis Borussicis Rhenanis tollenda essent an minus), qui dicerent: omnes homines ex se ipsis scire, quid crimen quidve justum sit; uti quis, ut recte eat aut currat, non praeceptis mechanices indiget, neque doctrinâ aequilibrîi opus habet, ut loco declivo eat, ita etiam leges scire singulos non necesse est, ut intelligant, quid facere aut omittere sibi liceat; monebant iidem, alioquin legem poenalem, non nisi in Jurisconsultos applicari posse, quoniam nemo ex justis et aequis principiis condemnari posset ob violatam legem, quam non sciret. Si fieri etiam posset, ut quis nesciret, furtum vi commissum gravius esse facinus quam furtum simplex, nulla adesset ratio, ob quam illud qui

¹ *Séances et Travaux de l'acad. d. sc. mor. et polit.*, VIII, p. 467 et X, p. 116 sqq. »L'ignorance des devoirs est la principale cause de l'immoralité, et l'immoralité, principale cause de la misère. Il faut répandre l'instruction morale et religieuse, et combattre avec le plus grand soin tout ce qui pourrait gêner son action bienfaisante et civilisatrice. L'éducation, le travail, la moralisation, et la charité sagement dirigée doivent parvenir à extirper la misère dans un pays si bien gouverné.» Cf. V. CONS. C. H. NOLTRENIUS, *Disp. inaug. de Educatione pauperum in Civitate*. Amstelod. 1825.

commiserit gravius puniendus esset, quam qui hujus fuerit convictus ¹. Certe non est hic locus disserendi de eo, quatenus ignorantia juris excusaret a poena; nota est regula, eam non excusare, et inde etiam sequitur, haud dubie multum referre, ut juvenus jam a prima inde aetate bona facere, mala omittere, discat.

Educatio ita si animos juvenum rite informavit, efficax in ea quoque erit contra morum corruptelam et libidinem praesidium. Libidinosi mores, si cessant, si continentiam in omni victu, ut CICERO dicit, et in praetermittendis voluptatibus homines sequi discunt, multorum criminum exordia deficient ².

Cum Educatione artissimo cohaeret vinculo *Religio*. In § 8, quo de religionis contemptu ageremus, tamquam criminum causa, notavimus, Parisiis anno 1821 constitutam fuisse societatem *de la morale chrétienne* quae contenderet: »que la plupart des erreurs et des vices, qui retardent le règne de la vérité, de la justice et de la paix parmi les hommes, naissent de l'ignorance ou de l'oubli des préceptes de la religion chrétienne.» Certe maxima quum sit religionis in vitam hominum publicam et privatam efficacia, multum refert, ut sanctissimae religionis praeceptis jam pridem imbuantur juvenum animi. Ita pueri ex ephebis discant non solum, adesse Deum, sed eum esse, qui odit injusta, justa amat, probis fausta, improbis supplicia afferens. Discat ideo religionis placita juvenus, quae illi aetati apta sunt habenda, ut secundum ea vitam ducant. Quanti inter-

¹ Mr. J. A. WEILAND, *Bijdr. tot de Wetenschap der Strafrechtspleging*, p. 12 sqq.

² »Au retour des mœurs une foule de crimes disparaîtra: car une foule de crimes tient du libertinage.» *Bibl. Philos.* par BRISSOT DE WARBVILLE, V, 229.

sit ut principio recte juvenus instituatur nemo ignorat. Est religionis Christianae summum praeceptum amor in omnes. Sic amore ducti ab injuriis et contumeliis desistent. Injuriarum patientia Christianis divinitus commendata eo debebat tendere ultro, ut omnem vim abhorrerent qui praecepto illi obtemperarent. Generi humano pacem ea religio pollicetur, in qua pace, ab injustitiâ committendâ se absterneant, qui vere sanctae religionis illius doctrinae obsequuntur.

Nonnulli, uti HEYNIG, de mala hominum educatione querentes reprehendunt, non quod religionis notiones discat juvenus, sed quod falsae plurimum de Deo notiones doceantur. Doctrinae de variis hujus illiusve ecclesiae dogmatibus¹ non recte propositae magis nocent aliquando quam favent. — Certe erant qui putarent, hominem felicem posse fieri, dummodo Christiani nomen gerat, baptisatus sit, coenam sacram adeat, bibliaeque fidem habeat, non vero illum qui bene agat, felicem fore. Certe, quomodo de Deo rebusque divinis sentiendum sit, legislatoris aut imperantis non est praescribere, at multum refert ut, quomodo-cumque caeterum ea de re existimetur, certe omnibus Deus proponatur tamquam injustitiam maxime abhorrens, mala vindicans, bona praemiis remunerans. Ita, quibus ea inest persuasio, a delinquendo facilius se absternebunt.

Ebrietas quum, ut jam ad § 11 vidimus, frequens sit causa criminum, *usus potuum spirituosorum sublatus* tamquam remedium merito adhiberi poterit.

Multae jam adsunt regiones ubi constitutae sunt societates quae abusum, quin etiam usum, omnium potuum spirituosorum tollere conantur; et merito; nam frequentissimus

¹ *Moral und Recht sind eins*, p. 14, 19, 24—28.

in nonnullis Europae regionibus eorum potuum est usus; ita in Suecia, quae eo insignis est, quum 3,000,000 incolae anno 1843 consumserunt 2,070,000 amphoras (ankers); in regione Hanoverana, secundum BÖTTCHER, 1,722,107 incolae quotannis 660,800 amphoras consumunt. In nostra etiam patria, 3,000,000 circiter incolae potuum spirituosorum amplius quam 700,000 amphoras quotannis requirunt¹. Ex tabulis, quae anno 1837 in Anglia prodierunt, editae ab iis qui conditionem pauperum et causas paupertatis incrementis indagarent, constitit, quotannis in tribus magna Britanniae partibus 2,055,800 amphoras consumi; hic usus autem sextuplo major fuit eo anni 1818.

Effectus societatum illarum de abolendo spirituosorum potuum usu sunt haud exigui. In America septentrionali, antea 6,757,542 amphorae consumebantur quotannis; qui numerus ad tertiam partem nunc decrevit²; si hujusmodi ita societates nihil aliud effecissent, nisi quod quotannis potuum spirituosorum usus decresceret, jam forent laudandae. Majorem autem laudem merentur, quod causae sint numeri minoris ebriorum, quin etiam delinquentium. In Irlandia, ubi initio saeculi multa committebantur crimina, nunc multo minori illa sunt numero, et carceres, antea delinquentibus referti, nunc raros detinent homines, multaque sunt tribunalia, ad quae saepe per annum nulla res criminalis defertur, quod magna ex parte ebriositatis vitio apud plurimos sublato videtur tribuendum. Per annum 1839, 286, annum 1840, 159, et 1841, 120 tantum homicidia in eadem regione commissa sunt³, quum

¹ HUYDECOPER, *Woord van Ernst en Liefde*, p. 31.

² HUYDECOPER, l. l. p. 31.

³ *Blätter des Hamb. Vereins gegen d. Brw. Dr.*, 1843, p. 186.

ab anno 1836 inde ibidem numerus contraventionum aedilitiarum ad tertiam partem sit reductus. Erant anno 1836, 42096 numero, anno 1840 tantum 778. Simulac ita numerum delinquentium decrescentem videmus, nobis apparet, illos, qui, antea usui potuum spirituosorum dediti, inde ad crimina ducebantur, nunc pecuniam, qua non indigent, ad mensas pecuniae servandae (spaarbanken) detulisse, quod significat quoque eorum, qui in mensas illas sua conferunt, increscens numerus, quorum scilicet anno 1838, erant 7,364; anno 1841, 9,585¹. Anno jam 1819 in nonnullis Americae tribus usus publice vetitus, decem annis post etiam in superiore et inferiore Canada; idem etiam in insula Haïti locum habuit; ut placitum incolis probaretur, monuerunt prudentes, v. c.: talia venena homines bestiis adaequare, eos ad fratricidia incitare, ad odia contra leges et bella civilia. Ebruius pejor dicebatur fera bestia². In insulis Sandwichs ab anno inde 1832 potuum spirituosorum usus fere totus sublatus dicitur³.

Quum supra ageremus de criminum causis vidimus § 13 paupertatem multorum esse causam. *Paupertate sublevanda et prosperitate publica procuranda* crimina minui videbit legislator. Varia autem sunt, quae eum in finem adhibere possit. Quam eximie ad causas paupertatis tollendas ducere debeat oeconomiae politicae justa cognitio, recte jam adnotavit GARNIER, qui praesertim rectae institutioni juventutis multum tribuit⁴. Etiam vir summus in Anglia, R. PEELIUS,

¹ *Vereeniging tot afschaffing van sterken Drank*, N^o. 4.

² HUYDECOOPER, l. 1. p. 36, *Blätter des Hamb. Vereins*, 1843, p. 92.

³ *Journal of the American Temperance Union*, 1844, p. 43.

⁴ *Journal des Economistes*, p. 134. »En dernière analyse, nous proposons, pour combattre la misère, la diffusion des lumières. C'est un

quum in celebri oratione legem tueretur de vectigalibus in merces impostis minuendis die 27 Jan. 1846, monuit, multum commodi inde percepturos esse populi mores, quoniam stimuli ad delinquendum ex paupertate et indigentia originem ducentes, decrescent. — Ideo a vobis peto legem, »ita dicebat,» non solum ut divitiarum modus augeatur, sed maxime, quia, ut vobis ostendi, rerum copia et abundantia valent ad crimina minuenda et ad mores emendandos ¹.» Parcimoniae virtutem etiam mensae ad pauperum pecuniam servandam institutae promovebunt. Hae certe multis tempore calamitatis praesidia praebent, ad quae possint recurrere, quum sine illis opem aliorum implorare fuissent coacti. In Francia, ubi etiam militibus tales mensae constitutae sunt, in Germania etiam, multum utilitatis jam attulerunt. Multi nempe operarii et opifices, qui alioquin pecuniam, cujus non indigebant, sive ludis, sive potuum spirituosorum usu jam consumsissent, hanc iis mensis conservandam afferunt ². In urbe nostra Amstelodami hocce demum anno talis mensa ad pecuniam pauperum conservandam instituetur, quod consilium laude admodum videtur esse dignum.

moyen bien connu, mais peut-être est-ce le seul capable d'élever les classes laborieuses à une meilleure condition matérielle et morale.»

¹ *Oratio* R. PEELI, a viro Cons. VISSERING, in sermonem patrium translata, p. 41. »Het meest zal echter de zedelijkheid des volks er bij winnen, omdat de verzoeking en tot misdrijf, welke uit armoede en ellende voortspruiten, minder zullen worden. Daarom vraag ik uwe goedkeuring op deze maatregelen, niet om eene bekrompene berekening van de vermeerdering des rijkdoms — maar om den wille van een hooger beginsel. — Ik vraag u uwe goedkeuring op het bewijs, dat ik u heb geleverd, dat overvloed en goede koop de misdaden verminderen, en op den zedelijken toestand des volks gunstig werken.»

² STRASS, *Op. cit.* p. 26.

De paupertate, criminum causa, supra dicentes, observavimus, eam maxime ex desidia et inertia exsistere, quae non tribuenda est defectui opportunitatis laborem praestandi, sed inde repetenda saepe, quod a labore praestando homines sint alieni et laborem odio habeant. Si ita vere jam dudum observatum est, desidiam ad vitia et crimina ducere, laboris praestandi habitum ut contrahant sibi homines, quantum ejus potest fieri, debet effici¹. Et ita quoque Francici scriptores hodieque laboris praestandi consuetudinem commendant tamquam idoneam maxime ad crimina avertenda, quum per laborem praestitum nonnulla acquirat damnatus, ad quae tuenda, conservanda et amplificanda operam ipse intendat². Saepe jam publica auctoritate labores nonnulli praestantur pauperibus, ut ita victum quaerant. Quae res maxime in Irlandia, in Francia, in patria etiam nostra, hisce ipse diebus, usu venit per annonae caritatem.

Aequa et justa civitatis administratio, provida in impetrante salutis publicae cura, in civitate bene et efficaciter sancitae, quoque ad crimina avertenda valent. Si fruuntur cives commodis illis, quae juste e civitatis institutione possunt expectare, certe non habent, quod ea de causa querantur³.

¹ In *Rapport de DUPONT à l'Assemblée constituante*, 26 Dec. 1790, iam legimus: «La source la plus ordinaire des crimes c'est le besoin, enfant de l'oisiveté. Le système des peines doit être assis principalement sur la base du travail.» Cf. *Bibl. Philos. du Législ.* V, 337 sq.

² «Le plus efficace moyen de moralisation est le travail — non seulement parceque le travail, absorbant les forces physiques et morales des classes inférieures, les détourne d'un but coupable au profit d'une activité salubre; — mais parceque le travail et l'ordre, qui doit en être l'auxiliaire, élèvent l'ouvrier à ce bien-être qui en fait un défenseur de l'ordre social.» *Le Commerce*, 2 Févr. 1840.

³ «Rendre les peuples heureux, est le moyen sûr de prévenir les cri-

Uti apparuit § 14, vitia legum et institutorum ad crimina ducere, ita *emendatione legum et institutorum illorum* crimina poterunt averti. Et quo quaeso colore ab aliis exigent legislatores, ut ne criminibus ansam dent, si ipsi perficere negligunt, quod ad crimina avertenda necessario ipsi debent constituere ¹. Vidimus supra de eo, quomodo poenae nimis leves ad crimina alliciant, quomodo nimis graves contra rectam criminum vindictam soleant arcere; ut igitur justus servetur in civitate poenarum modus, maxime est providendum ei, qui causas et opportunitates delinquendi avertere cupiat.

Multum valebit ad crimina arcenda etiam, si carcerum et ergastulorum conditio melius proposito respondeat, si ipsi delinquentes in carceribus et ergastulis mores et vitam emendare didicerint et si eorum, qui libertati ita sunt restituti, postea justa quaedam habeatur cura et patrocinium; certe vidimus supra, carcerum et ergastulorum eam jam vulgo tristem esse conditionem, ut scholae sint criminum, quum permulti ex iis exeant longe magis corrupti quam erant, quum poenam subire inciperent. Nostrum non est de variis systematibus carcerum pronunciare, at lubenter fateor, mihi perquam placuisse, quae in coetu poenitentiario Fran-

mes. — L'individu ne demande qu'une subsistance assurée, un état convenable, de la surété, de la liberté. Là, où il jouit de ces avantages, il y a peu d'intérêt à être criminel; et l'on ne devient criminel, que parceque l'intérêt nous force à l'être. Il est donc vrai de dire, que, donner le modèle d'une bonne constitution politique, c'est simplifier le Code Pénal, etc." *Bibl. philos. du Législateur*, III, p. 234.

¹ »Sollte es sich zeigen, dass durch irrhümliche Ansichten der gesetzgebenden Gewalt selbst solche Veranlassungen gegeben worden seyen, — mit welchem Rechte würde sie dergleichen Maassregeln vorschlagen können, wenn sie durch ihre eigenen irrigen Ansichten die Begehung von Verbrechen veranlasst haben würde?" SPANGENBERG, *Opusc. laud.* p. 46.

cofurti, 1846¹, hac de re disputata et acta sunt; sed, prudentioribus iudicium dum relinquam, praesentem conditionem carcerum et ergastulorum emendationem necessario requirere, quis in dubium vocabit? Si carcerum et ergastulorum conditio emendata aliquando erit, longe minori numero etiam erunt repetiti criminis rei; supra animadvertimus, in Francia ita ergastulorum se habere conditionem, ut ibi, qui gravissima poena ob crimen sint damnati, meliori vulgo conditione utantur, quam illi qui correctorio carcere puniuntur. Quis non videt tam vitiosum systema emendatione indigere²?

Eorum, qui carcere demissi in vitam socialem redeunt, curam habendam esse merito nonnullis utilissimum visum est. Egregia sunt hac de re in Francia agitata consilia, imo variae ibi institutae sunt societates quae eo tendunt; uti societas dicta *paternelle*, quae curam habet juvenum 16 annis minorum ex art. 66, *Code Pén.*, detentorum, et eum in finem memorabilem illam coloniam *Mettray* instituit, quae id agit ut juvenibus opportunitas detur, victum, per iustos et honestos labores, sibi quaerendi, ut ita a malis exemplis et corruptela, quae in magnis urbibus praesertim adeo deprehenduntur, liberentur et ad probitatem et virtutem reducantur; ita postea libertati restituti, sub patrocinio eiusdem societatis, tamquam opifices aut operarii aut agricolae industriam exercebunt. Accedunt societates titulo: *Comité de patronage pour les prévenus acquittés*, *Société pour le placement en apprentissage des jeunes orphelins et fils de condamnés*, etc. Apparuit ex dictis, merito iam summam ubivis haberi huius negotii curam, et in multis Europae

¹ *Verhandlungen der ersten Versammlung für Gefängnisreform*, etc. Frankf. 1847.

² *Polémique Pénitentiaire*, in *Revue Pénitent.*, 1846, p. 400—505.

regionibus constitutas haberi societates patrocini eorum qui e carceribus demissi sunt aut de iis constituendis agi¹.

Multa sic, per quae medela possit afferri civitati, per quae averti possint crimina et maleficia eorum, qui tranquillitatem publicam per turpia sua et injusta facinora laedunt, significavimus; plura etiam in singulis §§, ubi de criminum causis disputavimus, monuimus, quae valeant ad causas eas ipsas reprimendas. Certe, criminum numero diminuto, saluti publicae, bene multis in causis egregie erit consultum. Fuit vir ampl. DE VILLENEUVE BARGEMONT², qui ingeniosa computatione efficere conaretur, quantas opes lucrarentur cum cives tum civitas, si a maleficiis omnino cives se abstinerent. Id adsequi desperandum est ob humanae naturae imbecillitatem, sed, quod totum assequi non possumus, id saltem pro magna parte assequi studeamus. Criminum numerus si minuitur, et prosperitati, et opibus publicis, et vero, quod majus etiam est, probitati et honestati consulatur, quum cives, non unice de juribus suis solliciti, in officiis aliorum servandis, omnem operam sunt collocaturi.

¹ MORREAU CHRISTOPHE, *Revue Pénitent.*, 1846, p. 532. *Bibl. Univ. d. Genève*, Janv. 1845, p. 51 sqq. *Tijdgenoot*, 1845, p. 533 sqq. Ita merito societas patria ad emendationem delinquentium curam praesertim gerit eorum qui e carceribus iam exierunt. Cf. Vir vener. J. E. MOLLET, *Notice historique sur l'Etablissement de la Société pour l'amélioration morale des prisonniers*. Amst. p. 54 sqq. *Considérations sur les prisonniers libérés* etc., par P. GUILLOT, Paris 1839, qui postremus egregie omnino de hoc argumento meruit.

² *Journ. des Econ.*, Mai 1846, p. 165 sqq.

THESES.

I.

Nullum agnoscimus jus necessitatis, quamquam, pro impedita aut minuta voluntatis libertate, facta aut prorsus non imputari auctori possunt, aut excusationem in jure merentur.

II.

Scriptae in civitatibus de imperio leges prudenter constitutae efficiunt, ut ipsius imperii crescat firmitas ac robur, ut civibus majus sit libertatis praesidium, et ut imperantes tutius et tranquillius gubernare imperium possint.

III.

Multum refert, ut distinguantur a se invicem jura quaesita et facultates legales; illa si tolluntur a legislatore, damni reparatio est praestanda, haec si cessant, nihil debetur iis, qui detrimentum inde sentiunt.

IV.

Valent hodieque, quae SENECA jam monuit, *de clementia*, I. 22. »In vindicandis injuriis haec tria lex secuta est, quae princeps quoque sequi debet, aut ut eum, quem punit, emendet, aut ut poena ejus caeteros reddat meliores, aut ut sublatis malis securiores caeteri vivant.»

V.

Recte CHAUVEAU et HÉLIE, *Théorie du Code Pénal*. Ed. Brux. 1837. 1. p. 28, N^o. 98: »A nos yeux, l'intimidation, la réforme ou l'expiation, ne sont point, à proprement parler, le but du châtement, mais bien les moyens de l'atteindre. Et, en effet, la fin de toute pénalité est le maintien de l'ordre dans la société, la protection du droit.»

VI.

Minus recte FEUERBACH, *Lehrb. d. peinl. Rechts*. § 34 nota a, negat homicidam esse, qui nullo jure trucidat alium ad poenam capitalem subeundam damnatum.

VII.

Idonea ratione caret, quod in patria nostra, ubi juratorum judicia non amplius usurpantur, de sententia criminali non aequè concedatur appellatio, atque in causis correctoriis.

VIII.

Per discidium, quod KANTIO maxime auctore, inter Juris et Ethicæ disciplinas exstitit, factum est, ut Jurisconsulti, magis de juribus quam de officiis solliciti, Ethicam sive morum doctrinam nimis saepe neglexerint. Atqui eam doctrinam negligere dedecet unumquemque hominem vere cultum, ita certe quoque Jurisconsultum, qui bonus ac probus vir merito dicatur.

IX.

Multos erravit in Oeconomia politica errores MONTESQUIVIUS. Ita singularis plane est et erronea ejus sententia, *Esprit des Loix* xx c. 23: »Un pays qui envoie toujours moins de mar-

chandises ou de denrées qu'il n'en reçoit, se met lui même en équilibre en s'appauvrissant, jusqu'à ce que, dans une pauvreté extrême, il ne reçoive plus rien."

X.

Recte DÉGERANDO, *De la Bienfaisance publique*, I. pag. 16 et 27: »C'est avec la civilisation que commence l'indigence proprement dite parce que c'est elle qui crée les besoins. — La mission de la bienfaisance ne se borne pas à tempérer la misère, mais elle doit s'étendre à réhabiliter le misérable."

XI.

Dictum JUSTINIANI in praefat. Novellae 74: »Nulla lex neque Sectum prolatum in Republica Romanorum videtur ad omnia sufficienter ab initio promulgatum, sed multa indigere correctione, ut ad naturae varietatem et ejus machinationes sufficiat;" etiam de nostris temporibus valet.

XII.

Non assentimus MASSÉ, *Le Droit Commercial mis en rapport avec le droit Civil* etc. IV. p. 23. dicenti: »Un Code — une vaine tentative, qui n'a d'autre résultat que d'arrêter les développemens naturels de la législation."

XIII.

Egregie v. CL. HOLTJUS, in *Bibliothèque du Jurisconsulte et du Publiciste*, I, p. 74. »C'est un grand avantage d'avoir une législation commerciale qui soit en harmonie avec celle des autres pays. Nous sommes loin de vouloir préconiser l'uniformité en matière de droit civil, mais dans la législation commerciale, dans un système de lois destinées à garantir les

intérêts des étrangers aussi bien que ceux des regnicoles, elle nous paraît désirable.”

XIV.

In l. 2. § 1 D. de Lege Rhodia de jactu verbum *vel* tollendum mihi videtur.

XV.

Nulla est pugna inter l. 32 § 2 D. ad SCtum Vellejanum et c. 4. Cod. eod. Tit. cum in l. 32. § 2. mulier revera pro viro intercesserit, dum creditori viri vel alii ab ipso interposito fundum venderet ea lege, ut pecunia viro accepta referretur. At in C. ipsa mulier emtorem quaesivit, eique rem simpliciter vendidit, ac postea donandi forte animo pecuniam creditori mariti exsolvit, nullo interposito pacto cum emtore de pecunia hac viro accepta referenda.

XVI.

Indossamentum minus plenum (de quo agitur Art. 135, p. 1. Cod. Merc.) non ex sua ipsius natura est procuratio, sed talis tantum praesumitur; itaque admittitur probatio contraria.

XVII.

Apochis iis, quae in praecipuis patriae nostrae emporiis mercium emtoribus traduntur (ontvangcedullen) ipsae merces tradi intelliguntur. Itaque earum possessio est penes eum, in quem scriptae sunt.

XVIII.

Licet Jure Civili nostro judex cantonalis tutori rerum suarum oppignorationem praescribat, tamen ipse illum ad eam praestandam cogere nequit; hoc faciat tutor honorarius.

XIX.

Quod in Codice nostro Civili lib. III. Tit. 6. Sect. 8. de mercenariis (dienst- en werkboden) cavetur, non producendum est ad eos, qui mercatoribus operas locaverunt suas (kantoorbedienden).

XX.

Praestare mihi videtur doctrina C. Mercat. Art. 769 expressa doctrinae quam continet Cod. merc. Franc. art. 441.

XXI.

Videtur ratione ususfructus, quem pater et mater ex lege nostra habent in bona liberorum suorum, distinguendum esse inter usumfructum *cessantem* et *amissum*. Itaque ususfructus matris, quae secundas nuptias contraxit, non amittitur, sed cessat; post solutas autem secundas nuptias cessare desinit.

XXII.

Recte omnino MASSE, Op. cit. III. p. 105: »Par cela seul qu'un mineur peut être auteur d'un ouvrage de l'esprit, il se trouve en possession des droits que la législation assure aux auteurs sans avoir besoin d'aucune capacité civile, aussitôt qu'il a composé un ouvrage de cette nature. Mais pour recueillir les profits de ces droits, et en traiter avec les tiers, le mineur a besoin de l'assistance de son tuteur.»